10 – B · I 37

5 [illegible]

N. 172.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
6 H
94

DE ORIGINE *IMPERII TVRCO-RVM*, EORVMQVE ADMI-niſtratione & diſciplina, breuia quædam capita notationis loco collecta.

BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITTORIO

Cui

LIBELLVS DE TVRCORVM moribus, collectus à Bartholemæo Georgieuiz, adiectus eſt,

Cum præfatione reuerendi uiri D. *Philippi Melanthonis.*



VVITEB[illegible]GÆ.

ANNO [illegible]

PRÆFATIO D. PHILIPPI MELANTHONIS.

VTILE EST SÆPE MVLtumq; cogitare Eccleſiæ Dei & imperiorum diſtinctionem, & conſiderare, quam triſtis ſeruitus fuerit Eccleſiæ in magnis Imperijs inde uſq; ab initio Monarchiarum, etſi interdum eam exiguo ſpacio mirandis modis Deus lenijt. Eſt omnino terribile ſpectaculum, quod ſumma potentia & faſtigium generis humani cernitur eſſe penes hoſtes Dei, qui ut Gigantes bellum cœlo inferunt, & cruore iniuſtè fuſo, & libidinibus totam rerum naturam polluunt. Quanta deformitas eſt, quod Romæ dominatur ſpurciſsimum & crudeliſsimum portentū Nero, cum ibi Paulus incluſus carceri Eccleſiam colligit? Sed in talibus ſpectaculis conſpiciuntur tamen teſtimonia pro-

uidentiæ & præſentiæ Dei,ut Gigantes fulminibus diſſipantur, Tyranni ſingularibus exemplis delentur, quæ oſtendunt eos à Deo puniri. Præterea Eccleſia, quanquam exigua eſt, & ſine Regijs præſidijs, tamen dextera Filij Dei regitur, qui & alijs ſingularibus operibus præſentiam ſuam oſtendit. Excitant Apoſtoli mortuos, & alijs alia teſtimonia exhibentur. Ita uniuerſam Monarchiarum ſeriem intuearis, cum has tabulas & terribiles Turcorum formas ceu Gorgonas aſpicies. Videmus Turcicam potentiam in genere humano excellere, Reges & Principes Europæ cæteros ſuas uires domeſticis bellis conſumere. Interea Turci procedunt. Et prædixit Hiltenius ante annos octoginta, dominaturos eſſe Turcos in Italia & Germania Anno 1600. In his uaſtationibus quæ & ubi erit Eccleſia? Hic uerò teneamus neceſſariam & ueram conſolationem diuinam,

uinam, quæ adfirmat etiam in hac delira Mundi ſenecta & inter Imperiorum ruinas & uarias opiniones, tamen filium Dei ueræ Eccleſiæ reliquias ſeruaturum eſſe,& eis daturum hoſpitia, etſi ſqualidiora quàm qualia habuit ætas tranquillior. Sicut ſcriptum eſt: Erit ſicut in diebus Nohæ. Et quidem ſciamus ibi Filium Dei ſeruaturum eſſe ſuos cœtus, ubi & uox Euangelij, & ipſius inuocatio durabunt. Ab hoc agmine non deficiamus admiratione potentiæ Turcicæ,aut metu crudelitatis ullorum Tyrannorum, noſq; & teſtimonijs doctrinæ & Inuocatione Filij Dei confirmemus. Illuſtris conſolatio hæc eſt, Scire,impoſſibile eſſe,populum Dei hunc eſſe, qui palàm & ex profeſſo negant ſe amplecti ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Semper in pectore circumferamus uocem æterni Patris de Filio: Hunc audite. Et ſimilia dicta multa,quale eſt apud

Ioannem: Qui non manet in doctri-
na Chriſti, Deum non habet, Vt igi-
tur ſimus ciues & membra populi
Dei, & poſsimus uerum Deum inuo-
care & petere & expectare ab eo au-
xilium in hac uita, & æternam ſa-
lutem, ſimus alieni à Turcicis bla-
ſphemijs. Precemur etiam Filiũ Dei
Dominum noſtrum IESVM CHRI-
STVM, crucifixum pro nobis & re-
ſuſcitatum, ut propter ſuam gloriam,
procul depellat Turcicam Tyranni-
dem, & ſemper inter nos ſibi æ-
ternam Eccleſiam colligat.

Datę Anno 1560.
Calend. Ianu-
arij.

DE ORIGINE IMPERII TVRCORVM, EORVMque adminiſtratione & diſciplina, breuia quædam capita, notationis loco conſcripta.

De origine Turcorum.

TVRCOS GENTEM SCYthicam eſſe, non ſolum hiſtoriographi ueteres teſtātur, Verumetiam eorum mores, facies, uultus, ſuperbia, temeritas, magnaq; ſecuritas, deniq; tota ipſorum pugnandi ratio, modusq; clarē demonſtrat.

Ante annos ſexcentos in Aſiam minorem, quam Natholiam appellant, ingreſſi, infinitas depopulationes ac uaſtationes fecerunt, donec paulatim hæreditates, arces, ciuitatesq; imperio ſuo ſubiecerunt, Et populum Aſiæ minoris, qui bellis pugnæq; non aſſueuerat, perterrefacerent, atq; opprimerent.

Ac tum quidem Turci nullum habebant Principem, ſed cateruatim diſcurrentes, ampliſſimam totius minoris Aſiæ terram peruolarunt ſibiq; ſubegerunt, & cru-

deliter rexerunt. Cum uerò poſtea Chriſtianorum peditum trecenta millia, & Equitum centum millia, ad excellentem ducem Gottfredum Bilioneum conueniſſent, mareq; traieciſſent, ut ſanctam terram, ubi ſepulchrum domini noſtri IESV CHRISTI poſitum erat, occuparent: Turci quoque conglomerati, capitaneum ſibi Solymannum quendam crearunt, atq; ita aduerſum Chriſtianos bella mouerunt. Sed poſt ingens & cruentum bellum, à Chriſtianis uicti fugatiq; ſunt.

Ab hoc tempore non legimus, Turcos aliquem Principem habuiſſe, uſque ad annum Chriſti 1300, quo tempore tandem Ottomannus inclaruit, potenſq; factus, primus Turcarum Imperator creatus eſt, à quo reliqui, ut ſequens tabella oſtendit, conſequenter originem duxerunt.

CATA-

CATALOGVS *TVRCICORVM IMPERATORVM.*

I. OTTHOMANNVS.



OTthomannus, primus Turcarum Imperator, qui gentis Turcicę auus quaſi fuit, Et à quo reliqui Principes Turcici denominantur, fuit fortunatus, uictorioſus & ualde crudelis Tyrannus. Regnauit annos 28. Mortuus eſt anno Chriſti, 1328.

II. ORCANES.



ORCANES, ſecundus Imperator Turcarum, uafer & ingenioſus fuit, plurima inſtrumenta ſeu machinas bellicas excogitauit. Præfuit imperio annos 22.

AMV-

III. AMVRATHES.



AMVRATHES filius Orcanis, tertius Turcarum Imperator, iuuenis, fraudulentus, prouidus uigilanſque fuit. Anno Chriſti 1363. Adrianopolin occupauit. Regnauit annos 23.

IIII. BAIACETVS.



BAIAZETVS hoc nomine primus, Quartus Turcarum Imperator, uictorioſus, ſed inſignis & crudelis Tyrannus fuit. Totam ferè Græciam ſuo imperio ſubiecit, Tandem uerò à potentiſſimo Tamberlane uictus eſt.

CYRIS-

V. CYRISKELEBES.



CYRISKELEBES, Baiazeti filius, Quintus Turcarum Imperator, ualde iuuenis ad imperium peruenit. Cum Sigiſmundo Imperatore Romani Imperij, qui Rex Vngariæ tum fuerat, conflixit, cumq; in campo Salumbeci ſuperauit ac deuicit. Iuuenis adhuc mortuus eſt, regnauit circiter ſex annos.

VI. MOISES.



MOISES, ſextus Turcarum Imperator, Hic poſtq; fratris ſui filium Orcanem interfeciſſet, Imperio Turcico quidem potitus eſt, uerum non diu ipſi præfuit. Nam a Mahomete fratre Orcanis ante interfecti, ipſe quoq; necatus eſt, qui interfecto Moiſe imperium Turcicum ſibi ſubiecit.

MAHO-

VII. MAHOMETVS.



MAHOMETVS hoc nomine primus, ſeptimus Turcarum Imperator, admodum crudelis fuit, uires VValachorum bellis plurimis fregit, Eaſq; oppreſſit. Regnauit annos 14. Mortuus eſt anno Chriſti 1419.

AMVRA.

VIII. AMVRATES.



AMVRATES hoc nomine ſecundus, octauus Turcarum Imperator, callidus ac crudelis fuit. Hic primus omnium, ordinem Ianitzarorum, de quib. poſtea dicetur, inſtituit. Regnauit annos 31. Mortuus eſt anno Chriſti 1450.

MAHO-

IX. MAHOMETVS.



MAHOMETVS ſecundus hoc nomine, nonus Turcarum Imperator, Audax, ſecurus & confidens fuit. Hic cepit Conſtantinopolim Anno Chriſti 1 4 5 3. Die 2 9. Maij. Regnauit annos 3 2.

X. BAIAZETVS.



BAIAZETVS ſecundus hoc nomine appellatus, decimus Turcarum Imperator, Totam Moldauiam ui bellica deuicit, eamq; ſuo Imperio ſubiugauit. Inſuper multa & magna bella difficilia geſſit, quibus ipſe in numero ſuorum interfuit. Regnauit annos 31.

SELI-

XL. SELIMVS.



SELIMVS, Vndecimus Imperator Turcarum, fuit admodum crudelis, Patrem ſuum ueneno necauit, & eo modo potitus eſt imperio Turcico, anno Chriſti 1 5 1 2. Poſtea cum deuiciſſet Sultanum Magnum, populoſiſſimam urbem Alkairum expugnauit. Regnauit annos tantum octo, ubi ſuæ crudelitatis pœnas dedit.

XII. SOLYMANNVS.



SOLYMANNVS, Selimi filius, duodecimus Imperator Turcarum, qui noſtra ætate regnauit, iam uerò mortuus eſſe dicitur, fuit propter peccata noſtra felix & uictorioſus. Albam Græcam & Rhodum occupauit. Cumq; Regem Ludouicum deuiciſſet, Budam, Strigonium, Albam Regalem, & plurimas urbes Vngariæ ſuo Imperio adiecit. Viennam quoque Anno Chriſti 1529. obſidione cinxit, à qua auxilio filij Dei, quem hoſtem habet, repulſus eſt.

Te Domine Deus qui es trinus & unus, ueris & ardentibus gemitibus oramus, ut tandem iræ indignationiſq; tuæ facias finem.

nem. Mihiq́ bonam ſpem concipio, tuę iræ fore aliquando finem. Hic enim duodecimus Dux Turcarum eſt, nec plures ex Iſmaële naſcituros eſſe, Tu ipſe Deus prædixiſti Abrahæ Gene: 17. capite.

QVA RATIONE TVRCÆ BELLA GERANT.

POſtquam Macedonum potẽtiam Turci deuicerunt, eorundem diſciplinam militarem, rationemq́ adminiſtrandi, Item bella (quamuis non in omnibus conſentiant) imitati ſunt ac retinuerunt. Ideoq́ ferreis loricis induti, haſtis, clypeo, curuiſque gladijs pugnare ſolent, ſæpeq́ uictores exiſtunt.

Cohortem uerò Ianitzarorum, ab electiſſimis militibus Macedoniæ, quorum uirtute Alexander Magnus orientales populos ſuperauit, ſuoq́ Imperio ſubiecit, nihil omnino differre certiſſimum eſt, Hos à prima ſtatim puericia ad bella & pugnas educant, exercent atq́ inſtituunt. Nemo eorum ſuos parentes aut cognatos nouit. Sunt enim filij Chriſtianorum, multis ac uarijs depopulationibus ſurrepti, quos in hortum Principis Turcici traditos, ut in fu-

turum uiriliter ſeſe in acie gerere & defendere poſſint, uarijs artibus bellicis inſtituunt atq; exercent. Si qui ex eis moriuntur, aut in acie uel etiam urbium aliarumue munitionum oppugnatione cadunt, confeſtim ex adoleſcentum exercitatiſſimorum ordine, in horum locum alios ſubſtituunt, numerumq; ſupplent.

Atq; hoc pacto exercitus Ianitzarorum, qui uelut cor & arx eſt roboris & potentiæ Turcorum, ſemper manet integer. Nec habent ęquales penſiones, ſed unicuiq; ſecundum propriam uirtutem, & egregia facinora, datur ſtipendium. Et hæc unica eſt cauſa, cur audaciſſimi, & ad omnem conflictum, facinusq; egregium paratiſſimi ac promptiſſimi euadant, quemadmodum hiſce ſuperioribus annis, non ſine noſtro magno incommodo & malo, de his certiores facti & edocti ſumus. Nam inde uſq; ab Amurathe ſecundo, qui Ianitzaros inſtituit, & hoc ordine diſpoſuit, nuſquam eos integrum aliquod generalis exercitus robur amiſiſſe aut perdidiſſe legimus, quin potius ſuperiores uictoreſq; extitiſſe ſcimus.

Tanta autem iuſticia & ſeueritate, Turci diſciplinam militarem, belliq; gerendi leges

ges cuſtodiunt & conſeruant, ut hac in re Græcos & Romanos longe exuperent. Nunquam inter ipſos factiones, ſeditiones, proditiones,aut mutuę cędes exiſtunt. Siquidem leui ſaltem crimine conuicti,capite plectuntur. Milites uero Turcorum aliarum gentium bellatores multis in rebus excellunt.

Primum enim Principi Ducibuſq; ſuis ſine contumacia promptè obediunt, quod apud noſtros minimè fit. Deinde, quamuis duriſſima neceſſitate urgeantur, tamen nunquam terga uertunt,ſed potius audacius congrediuntur. Credunt enim diuinitus præfinitum eſſe, quo tempore,quoue modo quis occumbere & mori debeat, Ideoq; nihil ſibi aduerſi ante conſtitutam horam accidere poſſe arbitrantur. Poſtremò quia ſunt patientes,multoq; tempore, abſque pane & uino, ſola aqua & oryza ſeſe ſuſtentare poſſunt.

ORDO SEV DIS-
POSITIO BELLI ET
CVRIÆ TVRCICÆ
GENTIS.

VISIER BASSÆ.



VISIER BASSAE ſunt conſiliarij Turcici Imperato: Cum his enim de omnibus ſuis negocijs conferre ac delibera-re conſueuit. Sunt autem quatuor, & ab ipſo Imperatore ex eorum numero, qui ex Chriſtianis Turci facti ſunt, & Chriſto contradixerunt, Item multo peiores ipſis Turcis euaſerunt, deliguntur. Horum autoritas, & potentia magna eſt, et ſunt opulentiſſimi.

LESKER

LESKER KADIE.



LESKER KADIE, ſummi Iudices ſunt, qui bellicas controuerſias, quotquot ſunt, dijudicant. Vnus in Romania, alter in Natolia ſedem habet. Horum officium eſt, omnibus dicere ius, & omnium cauſas, quæ ad ipſos perferuntur, iuxta Mahometi leges decidere. Ad hos appellant ac prouolant omnes alij Kadiæ, & penes hos manet poteſtas, de qualibet controuerſia quantumuis magna, pronunciandi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BEGLERBEG.



BEGLERBEG, hic omnium Ducum Dux eſt, hoc eſt ſummus militiæ Princeps, ſeu ſummi Principis locum tenens. Sunt autem duo Beglerbeg, & imperant illis qui uocantur Szantſakbegler, Vnus in Natolia in ciuitate Galatiæ Cutheia. Alter in Romania, in ciuitate Raſcianorum, quam Sophiam adpellant, commoratur.

TEPTHEDAR.



TEPTHER ipſorum lingua librum ſignificat, in quo rationes & calculationes conſcribuntur. Inde Tephtedar nomen habent. Sunt Quæſtores ſeu Theſaurij, unus in Romania, alter in Natolia. Rationem habent omnium prouentuum totius anni per totum Imperium Turcicum, omniumq; redituum & expenſarum. In aulis Principum ſunt in magna autoritate.

IEREYS,

IEREYS.



IEREYS. Princeps militiæ naualis, bellicꝙ maritimi, qui ſemper ex numero Szantſakorum aut præfectorum,qui Callipoli præſunt, eligitur. Poteſtatem habet nauium trecentarum,quæ omnes gubernantur uelis.

MODE-

MODERIS.



MODERYS, ſunt homines docti in Mahometi conſtitutionibus, ſapientes & exercitatiſſimi, Ideoq; omnes hoc nomine appellantur.

MVHTHI.

MVTHI.



MVTHI, ſunt Iuriſperiti, ex quibus unus tanquam præcipuus legis doctor, eligitur, cuius deciſionem non licet cuiq; retractare. Si quæ difficiliora loca in legibus inciderint, de illorum interpretatione iſti conſuluntur.

CAN-

CANCELLARII.



Plurimi ſunt ſcribæ in aulis Turcicorum Principum, diuerſis tamen linguis ac literis utuntur. Nam in Turcia, literis & ſermone proprio ſcribunt & loquuntur. In Græcia & Italia Græco, in Pannonia uerò & Moldauia, Raſciano ſermone & pictura utuntur in ſcribendo. Scribas autem omnes Turci uno nomine Iazici appellant.

SPAHIOGLANI.



SPAHI ipſorum lingua nobilem, OGLAN uero puerum aut filium ſignificat. Inde Spahioglani nomen habent,& ſunt præcipui Equites in exercitu Turcico, educati in horto Imperatoris, eiuſdemq; filij appellantur. Ex horum numero Szantſakbegler, deinde & Legati eliguntur. Numerus eorum millenarium complet, induti ueſtimentis ſplendidis & precioſis,à dextro latere Imperatoris equitant. Quilibet eorum ſeptem aut octo milites ſub ſe habet.

SOLVPHTHARI.



SOLVPHTHARI, Hij una cum Spahioglanis educantur, pariq; poteſtate & dignitate pollent. Eorum quoq; numerus eſt millenarius, Ornatiſſimis & precioſiſſimis ueſtibus induti, à ſiniſtris Imperatoris incedunt.

CAPICI.



CAPI lingua Turcica portam ſignificat. Inde Capici nomen habent. Sunt enim Ianitores ſeu cuſtodes portarum Principis, qui magni æſtimantur, & præcipua dignitate ornantur. Ex cohorte Ianitzarorum deliguntur. Eorum ſunt quadringenti.

VLVFAGI.



VLVFAGI, ſunt mille equites ſic appellati, delecti ex numero Ianitzarorum, aut ex præcipuis militibus Baſſarum, qui fidelitatem & ſuam uirtutem, egregio ac memorabili aliquo facinore declararunt. Tertium ordinem poſt Imperatorem Turcicum obtinent.

CARIPICI.



CARIPICI, & iſti ſunt Equites, numero mille. Vt autem Equi eorum ſunt celeres & ueloces: Ita ipſi quoq; mira audacia & celeritate ſunt præditi. Arcu & ſagittis, haſtis, clypeo, & curuis gladijs utuntur, ſeſeq; armant. Stipendia habent copioſa.

SOLAK-

SOLAKHI.



SOLAKHI, ſunt milites præcipui & electiſſimi, Deliguntur enim & hij quoque ex numero Ianitzarorum, qui artem eiaculandi ſagittas admodum callent, ijſq; emittendis præ cæteris,quam rectiſſimè,exercitati & aſſuefacti ſunt. Numero ſunt ſeptingenti, quorum officium eſt, ſagittis neruo appoſitis Imperatorem circundare, eiq; aduigilare.

IANITZAR AGA.



IANITZAR AGA. Hoc nomine dux Ianitſzarorum appellatur, qui ſub ſe habet uiceduces, quorum alĳ imperant militibus mille, alĳ quinquaginta. Sunt præterea centuriones, decurioneſq;. Sub horum poteſtate reliqui Ianitzari quietiſſime uiuunt.

IANITZARI.



IANITZARI, ſunt pedites numero duodecim millia, præſtantiſſimi, exercitatiſſimi & fortiſſimi milites, quorum fidelitati Turcicus Imperator, præcipuè ſeſe committere & credere ſolet. Longis bombardis utuntur, ex quibus celerrimè globos eiaculantur, & rem attingunt, ad quam emittunt globos.

BESLIE.



BESLIE, ſunt etiam milites exercitati & celebrati, qui mirabiles ſuæ fortitudinis uirtutes ediderunt. Quilibet eorum quinq; militum ſtipendia accipit. Eorum fere quadringenti ſunt.

MVTAPHARAKH.



MVTAPHARAKH, ſunt filij magnorum Principum, miniſtri Imperatoris, ampla fruuntur libertate, nullum onus ſuſtinent, præterq́ quod Imperat: Turcico aſtant, eum obſeruant & comitantur.

CZAVSI.



CZAVSI, Clauas in manu geſtant, exercitum ordinant & dirigunt. Principi præeunt in exercitu, eiq; uiam præparant, ſicut infra rurſus dicetur. Sunt eorum trecenti. Horum opera Turcicus Imperator uti etiam ſolet in legationibus.

GIM-

GIMLIE.



GIMLIE milites præcurſores ſunt, qui uelociſſimos equos habent, ac cum neceſſitas poſtulat, magnum ſpacium una nocte abſoluere & conficere poſſunt. Sunt loricis circundati, clypeo, haſtis, & curuis gladijs pugnant,

ALCANTZI.



ALCANTZI, Equites infimi ordinis, ſunt crudeliſſimi uaſtatores & depopulatores, qui cum in bellum ſolummodo commodi ſui cauſa proficiſcantur (nihil enim manubiarum aut prædæ ab his repeti ſolet) igni ferroq; cuncta uaſtant. Magna eſt eorum multitudo, nam excedunt numerum triginta millium.

MEK-

MEKHTER.



MEKHTER, miniſtri Principis Turcici ſunt, qui ad expurgandas & ornandas domos Turcici Imperatoris ſunt deſtinati, Tapetiorum & aulæorum curam agunt. Hij tentoria cuſtodiunt Imperatoris, quando in bellum proficiſcitur Imperator Turcicus.

ASAPPI.

ASAPPI.



ASAPPI pedites ſunt in emittendis ſagittis peritiſſimi, miſſi a ciuitatibus Turcicis, ut tempore belli auxilia pręſtent Turcico Imperatori, ſinguli eorũ ſingulis menſibus, ternos aureos Turcicos, pro ſtipendio accipiunt.

DE TVRCARVM *MORIBVS EPITOME*,

BARTHOLEMAEO GEORgieuiz Peregrino Autore.

IOANNIS GOTTSCALCI BRABANTINI POETÆ LAVREATI IN LAVDEM AVTORIS.

QVod uarios homines, uarias quod uiderit urbes
Neritij nomen notaq; fama dabis.
Raptus at à Turcis in uincula Bartholemæus:
Neritio errauit per loca plura duce.
Hic Aſianorum, atq; Arabum diſtractus in oras,
Quæ tulit eſt teſtis dira πενία *comes.*
Ille Ithacen inter iactatus, & Ilion inter,
Clarior ingenio eſt factus Homere tuo.
Hic maris, & terræ diſcrimina maxima ſenſit:
Ille ſed expertus, ſola pericla maris.
Quid multa? hic dignus quem laudet Muſa Maronis:
Meonij uatis dignus & ore boni.

PIO

PIO ET CHRISTIANO LECTORI BARTHOlemęus Georgieuiz Peregrinus Hieroſolymitanus S. D. P.

SÆVA DISCORDIA, ET Principum noſtrorum inteſtina bella hoc mihi Peregrino pepererũt Chriſtiane Lector, ut omnibus bonis ſpoliatus, catenis uinctus, per aſpera atque lubrica Thraciæ, Aſięq; minoris loca,ut iumentum aliquod, oppidatim, uicatim, & plateatim uenum ductus: ad grauiſſima,uariaq; ruſtica negocia ſepties uenundatus: ibiq; ſub Turcica ac ruſtica ferula & aſpera diſciplina,in fame & ſiti,in frigore & nuditate ſub dio cubans, gregem ouium armentaq; paſcere, agriculturam exercere, equos curare, militiæq; artem diſcere compulſus ſim. Vnde capta fuga,glandibus, herbis agreſtibus earumq; radicibus amaris,modico ſale conditis uictitans, in ſolitudine arctico polo duce errans,inter uoraciſſimas feras uerſatus ſum. Helleſponticum mare, trabibus fune colligatis, traijcere conatus ſum, tandem captus,ad herum reductus,manibus ac pedibus ligatus,in terram proſtratus, fuſtibus duriter cæſus,poſtea ad mangones atque

que laniſtas uenum reiectus: ita ut tredecim annorum ſpacio, aduerſæ fortunæ fluctibus agitatus, ſub Imperio Turcarũ multas miſerias, calamitates, afflictiones, & perſecutiones pro fide Sancta Catholica experiri, patiq; coactus ſim.

Qui quum illa magis compendioſa uia, hoc eſt per Thraciam, tantam tyrannidem, grauiſſimam ſeruitutem, & crudeliſſimam infidelium afflictionem effugere nequiuiſſem, alia uia uidelicet antarcticum polum uerſus, per Caramaniæ, ac Syriæ deſerta & periculoſiſſima loca fugiens:

Per uarios caſus, per tot diſcrimina rerum,

In terram ſanctam, ad fratres Diui Franciſci Hieroſolimæ in monte Syon habitantes, perueni. Inde poſt curſum unius anni, quaſi a mortuis (Diuina uoluntate) ſuſcitatus, illiusq; uoraciſſimi & inſatiabilis draconis orco, & faucibus ereptus, eiusq; tormentis, & ſupplicijs liberatus, fratribus meis Chriſtianis, illarum pœnarum certiſſimus nuncius ueni: ut dignam ſuorum ſcelerum, atq; errorum pœnitentiam facerent, ne & ipſi in eum tormentorum, ac cruciatuum locum ueniant: ut etiam intelligant, quo in odio

eſſe debeant hi, qui Chriſtianum gladium, noſtrarum miſeriarum futurum uindicem, iam ante tot ſecula, tam fidelium, quâm etiam infidelium, prophetico ore prędictum, & ad illud Sathanæ regnum deſtruendum & demoliendum prædeſtinatum, ab hac ſanctiſſima & diu deſiderata expeditione, remorantur.

Quum igitur poſt terræ ſanctæ peregrinationem, occidentalium quoq; partium, loca uiſitando, illarum crudelitatum tragœdias, leuiter delineaſſem, nec non alia, quædam quæ aut quotidiana conuerſatione, & experientia longoq; uſu, in aula & militia Turcarum Imperatoris exiſtens didiceram, uel quæ doctiores & ſapientiores eiuſdem, legere, ſeu recitare audiuêram, uel à ſenioribus (olim dicta aut lecta) ratiocinari intellexeram, memoriæq; commendaueram: ſingula breuiter, ac fideliter in diuerſis locis, & diuerſis temporibus conſcripta, particulatim diuulgaſſem, & poſtea ā me diuulgata, per doctos proboſq; uiros in uaria idiomata traducta, & publicata comperijſſem, eaq; neceſſaria, & quodammodo utilia, & grata lectoribus perſpexiſſem, omnia in unum faſciculum collegi: nunc uerò in meliorem

liorem formam redacta, tibi ea optime ac Chriſtiane Lector legenda offero.

Tu igitur exemplo CHRISTI ſaluatoris (qui illius pauperculæ uiduæ munuſculum offerentis, tot Principum precioſis muneribus prætulit) hoc exiguum munuſculum afflicti peregrini, æqui boniq; conſulere uelis. Vale. Romæ Idibus Septembris,

M. D. LII.

DE TVRCARVM *RITV ET CÆREMO-* NIIS CAPITVLVM.

Et primo loco de Templis, ſeu Meſchitis eorum.

HABENT Templa ſatis ampla, & ſumptuoſa, ipſorum lingua *Meſchit* appellata, in quibus nullas prorſus imagines uidi, præter hæc uerba inſcripta Arabica lingua, uidelicet, *La illah Ilellah, Mehemmet, Ireſul, Allah, Tanre Bir Pegamber Hach*: id eſt, non eſt Deus niſi unus, Mehemmet autem propheta eius: Creator unus, & prophetæ æquales. Vel hæc, *Fila Galib Illelah*, id eſt, non eſt fortis ſicut Deus. Deinde conſpicitur magna abundantia lampadum ardentium oleo, totum Templum dealbatum, pauimentum ſtoreis ſtratum, ac deſuper tapetis ornatum. Circa Templum turris miræ altitudinis, quam eorum ſacerdos tempore orationis aſcendens, uoce alta, digitis in aures inſertis, hęc uerba ter repetit *Allach Hecchiber*, id eſt, Deus uerus unus. Audito clamore conueniunt in Templum nobiles & ocioſi, tantum deuotioni aſtricti. Deinde prædictus Sacerdos deſcendens orat cum illis,

idq;

idcꝫ ex officio facere debet quinquies inter diem & noctem. Quicuncꝫ uerò ueniunt ad orationem, debent abluere manus, pedes, & pudenda: poſtremò ter ſpargunt aquam ſuper capita, recitando hæc uerba, *Elhemdù Lillahi*, id eſt, gloria Deo meo. Deinde, exutis calciamentis *Paiſmagh* dictis, ijsqꝫ ante ianuam Templi relictis introeunt, alij nudis pedibus, alij habentes munda calciamenta *Meſth* uocata, quibus non palpant terram. Fœminæ nunquam congrediuntur cum uiris, ſed ſeorſum certo in loco, prorſus abſtruſo, à uirorum conſpectu, & auditu: ipſæqꝫ rarius Templum frequentant, ut tempore *Bairam* paſchatis, nonnunquam diebus ueneris, quæ *Gſumaagun* eorum lingua uocatur, orãtqꝫ ab hora nona noctis uſque ad duodecimam, ut puta mediam noctem: atqꝫ inter orandum corpus continuo agitatu, & uociferationibus mirẽ affligunt, ut ſæpius uiribus & animo defectæ, in terram pronæ concidant, & ſi aliqua ab eo tempore ſe grauidam ſenſerit, ſpiritus ſancti gratia imprægnatam eſſe affirmat. Cumqꝫ pariunt, ab ipſis nati *Nefes Oglu*, id eſt, Animæ, uel Spiritus ſancti filij appellantur. Ita mihi narratum eſt à pediſſequis earum: nam nec ipſe uidi, nec aliquis uirorum huic ſpectaculo

 inter-

intereſſe poteſt. Virorum autem orationibus cum hero meo ſæpe interfui, quibus mos hic eſt. Inter orandum pileos ſuos (qui *Tſalma* illorum lingua uocantur) non deponunt, ſed ſummis digitis attingunt, quaſi eleuaturi, genibus incumbunt,& terram ſæpe deoſculantur. Chriſtianum eorum ſacris intereſſe nepharium putant, credunt enim ab hominibus (ut ipſi aiunt) illotis,ſua templa contaminari,quippe Chriſtiani non uſurpant illorum more frequentia lauacra. Ibi Sacerdos illorum ſuggeſtum aſcendit,ac ad duas circiter horas concionatur: peracto ſermone aſcendunt duo pueri, qui cantando ſuas preces pronunciant. Peracto eorum cantu, incipit Sacerdos cum toto populo ſubmiſſa uoce cantare, quaſſando corpus in latus, nihil aliud præter hæc uerba, *La Illah Ilellah*, id eſt non eſt niſi unꝰ Deus, ſic media ferè hora perſonat, ac mouetur. Huiuſmodi autem oratiões,et cæremoniæ,ut cantus,prædicatio,non fiunt ſingulis diebus, niſi tempore Quadrageſimali & die feſtiuo,utputa die Iouis,ab hora nona noctis,uſq; ad duodecimam, Et ipſa dies Veneris,à quibuſdam religioſiſsimè colitur.

DE

DE QVADRAGESI-ma eorum.

HABENT etiam Quadrageſimam ſua lingua *Orutz* appellatam, ieiunantes unum menſem, & unam hebdomadam ſingulis annis, at non ſemper eundem, ſed ſi (uidelicet hoc anno) ieiunauerint Ianuarium, ſequenti Februarium, pergentes ſerie, ita ut duodecim annorum decurſu annum, & duodecim hebdomadas loco decimæ offerant Deo. Cum ieiunant, toto die nihil guſtant, ne panem quidem, aut aquam. Deinde uiſa ſtella, licet illis omnia manducare, præter ſuffocatum, & porcinas carnes. Suffocatum ab eis, *Murdar*, id eſt, cadauer ſiue immundum, & porcus *Domutz* uocatur. Quadrageſima peracta, Paſcha celebrant, eorum lingua *Bairam* uocatum, magna cum ſolennitate per triduum, oblinientes ungues manuum & pedum certo ceromate ab eis *Chna* appellato, quod ungues rutilos efficit: eadem quoque tinctura caudas equorum & pedes imbuunt, hic color tenaciſſime hęret, nec ablui, aut extergi poteſt: quamobrem niſi noui à radicibus ungues exierint, ſemper rutilantes apparent, ſed de manibus frequenti lotione poteſt deleri.

Mulieres non ſolum ungues, ſed & manus, atque pedes illo ceromate imbuunt.

DE CIRCVNCI-SIONE.

VTuntur circuncisione eorum lingua *Tſuneth* dicta, non octaua die more Iudæorum, ſed quàmprimum natus ſeptimum aut octauum annum exegerit, ſermonis iam peritus: idq; ipſis myſterium eſt, propter uerba confeſſionis, quæ ante circumciſionem requiruntur, erecto pollice manus *Parmach* dicto, hæc uidelicet, quæ ſupra oſtendimus in templis deſcripta. Puer ob id non defertur in templum, ſed in domibus parentum circunciditur. Huic ſolennitati ſæpe interfui, quæ ita ſe habet. Primò conuocatis amicis ad conuiuium, quibus ſatis delicata parantur fercula, ex omni genere carnium, quo ipſis ueſci licet, & paſſim (ut apud ditiores) bos cæditur, in hunc excoriatum & exenteratum includunt ouem, in qua gallinam, & in illa ouum, quæ integrè aſſantur ad ſplendorem illius diei. Deinde inter epulas tempusq; cœnæ adducitur puer circuncidendus, cuius medicus illius artis glandem retegit, & replicatam pellem

lem forpiculis apprehendit: deinde quō metum adimat puero, ait ſe in proximum diem circuncíſionem peracturum, atque ita diſcedit: mox ſimulans, quaſi omiſſum aliquid eſſet, quod ad præparationem attinet, ex improuiſo præpucium abſcindit, uulneri parum ſalis, & bombaſini apponens, iam uocabitur *Muſulman*, id eſt, circunciſus. Et die circunciſionis non induuntur illis nomina, ſed ipſo die natali, quo in lucem eduntur, quæ talia ſunt, & primo Regum, ut *Suleiman*, Solomon interpretatus. *Sultan Scelim*, id eſt princeps pacis. *Murath begh*, id eſt, deſideratus dominator. *Mutſtafa* & ſimilia. Ducum, *Pirin*, *Hairadon*, *Hader*, *Ebrahim*. Dominorum humilioris conditionis, quemadmodum ſunt *Spahalar*, *Sauslar*, *Eminler*, *Behram*, *Memmi*, *Mehemmet*, *Alli*, *Ahmat*, *Tcielebi*, *Paiazith*, *Chatſun*, *Hutſcref*. Cæteris omnibus, *Mutſa*, *Ionutz*, *Schender*, *Perhat*, *Ferro*. Captiuorum ac ſeruorū maiori ex parte *Seremeth*, quod nomen ſignificat audacem, atque uelocem. Poſtea continuato trium dierum conuiuio, circunciſus ducitur in balneum, cum maxima pompa. Cum redit domum, ducitur per conuiuas, qui parata illi munera offerunt: Alij ueſtes ſericeas, alij ciphos argenteos, alij pecunias, uel

etiam equos. Mulieres quoq; induſia,ſudariola,& alia huiuſcemodi. Iuxta uoluntatem & opes unuſquiſque conuiuarum donat. Fœminæ non patiuntur circunciſionem, ſed tantummodo iam dicta uerba confitentes, *Muſulman* efficiuntur. Si autem ex Chriſtianis quiſpiam ſua ſponte confeſſo Mehemmeto circuncidi ſe patiatur,quod ſæpe contingit,propter grauiſſimum iugum, & onus tributi, talis ducitur per omnes uicos atque plateas ciuitatis, ſummo cum honore, & gaudio populi ſonantium tympana: ipſi quoq; dantur munuſcula, poſtea immunis efficitur à ſolutione tributi, *Haracs* eorum lingua appellati. Et cupiditate huius lucri, multi Græci, quos *Vrumlar*, & Albani, quos *Arnautlar* uocant, circunciduntur. Si quis ui compulſus, ut puta qui Muſulmannum feriret,uel uituperio afficeret,aut Mehemmetum blaſphemaret (quod uidi Epiſcopo cuidam Græcorum ſectæ, contigiſſe) circunciditur, illi nihil datur: à tributi tamen ſolutione liber erit, ſicut & cæteri *Muſulmanlar*,id eſt,Circunciſi.

DE SACERDOTIBVS EORVM.

Sacerdotes uerò, illorum lingua *Taliſmanlar*

manlar uocati, parum uel nihil differunt à laicis, nec etiam à proceribus cæremoniarum, (quales apud nos ſunt Epiſcopi) nec magna in ipſis doctrina requiritur, ſatis erit ſi Alcoranum, & Muſſaphum nouerint legere. Illi autem qui etiam interpretari ſecundum textum nouerint, perītiſſimi habentur: quoniam non uulgari lingua Turcica, ſed Arabica à Mehemmeto ſunt tradita, quòd nephas eſſe putant, ſi uulgari lingua interpretata deſcriberentur. Eliguntur iſti Pontifices à populo, ſtipendium autem a Rege pro labore accipiunt: Vxores habent, & habitum ut ſeculares. Si ſtipendium non ſufficit propter multitudinem liberorum, mechanica tractant, ac libero etiam homine digna attingunt: præficiuntur ſcholis, aut libros deſcribunt. Apud illos ſanè nullos uidi typographos, ſed chartam optimè parant. Alij alium quæſtum faciunt, ut ſartoris, ſutoris, & ſimilia.

DE MONACHIS

NOn deſunt illis Monachi *Deruislar* uocati, uarij quidem ac inprimis triplicis ordinationis. Primus ordo talis eſt, qui nihil proprij habentes, quaſi nudi incedunt, præter pudenda pellibus ouinis tecta: &

tempo-

tempore frigoris ad cooperiendum dorſum ſimiliter pelle utuntur: latus, manus, pedes,& caput nullo prorſus tegunt ueſtimento. Exigentes Eleemoſynam tam à Chriſtianis, quàm à Turcis, *Alahici* petentes, quod ſignificat, propter Deum. Hi deuorata herba *Maslach* uocata, in rabiem aguntur, adeò ut per pectus totum in tranſuerſum uulnus ducant, itidem per brachium uel nullo dolore diſſimulato, & fungum arborum incenſum capiti, pectori, manui ſuperpoſitum non remouent, donec in cineres reſoluatur.

Aliud genus uidi, qui incedunt pertuſa uerpa, ſiue mentula, & incluſo annulo æreo ponderis trium librarum, à coitu diſcluſi, ob ſeruandam caſtitatem.

Tertium genus rarò egreditur, ſed manent die noctuq; in templis, habentes in angulis templorum tuguriola, ſine calciamentis, ueſtimento, diſcoperto capite, nihil geſtantes, præter unam camiſiam, multis diebus ieiuni, orantes, ut Deus ipſis futura reuelet, quos rex Turcarum bellum moturus conſulere ſolet.

DE REVERENTIA, quam exhibent Machometi traditionibus.

TAntam reuerentiam Turcæ Machometi traditionibus & ſtatutis præſtant, ut non ſolum Deum (quod noſtris plerunque accidere) non blaſphement, imō ſchedam quomodocunque ſcriptam in terra iacentem ſi reperierint,erectam, & ſæpius deoſculatam, in rimam aliquam parietis poſitam, obſtruunt : dicunt peccatum eſſe, ſi literæ quibus nomen Dei & lex Machometi deſcribuntur,pedibus conculcentur. Et nemo audet Chriſtiano, uel alterius fidei ſeu religionis homini uendere Alcoranum, aut alia eorum ſcripta,ne abiecta palpentur pedibus, uel immundis manibus contrectentur, alioquin capitis pœna plecterentur, Quare in hac re nobis profectō meliores dici peſſunt.

DE SCHOLIS IPSORVM

HAbent quoq; loca ad inſtituendum *Ochumachgirleri* eorum lingua appellata, & ſuos Doctores quos *Hogſialar* uocant,tam maſculos, quām fœminas, ſeparatim

tim tamen inſtituunt, maſculi maſculos, & fœminæ fœminas, Aſtronomiam, Philoſophiam, Artem poëticam. Inter diſcendum clara uoce clamantes, ad latus corpora mouent. Muſicam non norunt artificialem, ſed fingunt carmina ad præſcriptas regulas, quę ita ſe habent. Quodlibet carmen undecim debet complecti ſyllabas. Placuit itaq; exempli gratia hæc pauca inſerere.

CARMINA AB IPSIS BETHLER DICTA.

Birechen bes on eiledum derdumì
Iarà dandam iſtemiſcem iardumì
Terch eiledum zahmanumì gurdumì
Ne ileim ieniemezum glunglumi.

Sunt enim carmina amatoria, Deæ ipſorum lingua *Aßih* uocatæ, id eſt, Deæ amoris, quorum interpretatio hæc eſt de uerbo ad uerbum.

Birechen, id eſt, ex una. *bes*, id eſt, quinq;. *on*, id eſt, decem. *eiledum*, id eſt, feci. *derdumi*, id eſt, tribulatione mea.

Iaràdandan, id eſt, ã creatore. *iſtemiſcem*, id eſt, poſtulaui. *iardumì*, id eſt auxilium.

Terch eiledum, id eſt, neglexi *zachmanumi*, id eſt,

id eſt, patriæ meæ. *gurdumi*, id eſt uiſitationem.

Ne, id eſt, Quid. *ileim*, id eſt, faciam. *ieniemezum*, id eſt, non poſſum uincere. *glunglumi*, id eſt, mentem meam.

DE MATRIMONII CONTRACTIONE.

MAtrimonium eorum lingua *Eulenmech* uocatum, tale eſt. Coeunt nuptiæ ſine iuramento, accipiunt plane indotatas, propemodum emere coguntur, contrario (quàm olim apud Romanos) more, ubi gener emi ſolebat, non nurus. Nihil habet ſponſa in corpore cultus uel ornamenti, quod non cogatur à ſoceris redimere. Diuortium apud illos faciunt improbi mores, uel infœcunditas: cognoſcit de iſtis rebus iudex ipſorum. Inter ſeruos emptos etiam matrimonium permittunt, ſed geniti ex illis uernæ fiunt.

DE PEREGRINATIONE ILLORUM.

PEregrini, eorum lingua *Hagſilar* appellati, loca ab ipſis ſancta habita inuiſunt, uide-

uidelicet *Mecham,Medinum,* ut noſtri Hieroſolymam, ibi aiunt Mehemmetum obijſſe: ſed non minus quæſtus gratia quàm religionis & deuotionis. Ibi uiſo calciamento *Tſaroch* uocato, quod inauratum ſolummodo à teſtudine templi pendet, coemptis ſubtiliſſimis telis, *Chumas* dictis, in patriam regrediuntur magno cum lucro. Et cum redierint, alij uectant deuotionis gratia aquam in utribus plateatim, idq; obuijs ſitientibus gratis offerunt, alij rem ſuam agunt, & ſi qui in itinere pereunt quocunque modo, etiamſi non ueniant *Mecham:* nihilominus in peregrinorum numero habentur.

DE MIRACVLIS
Machometi Mecheę factis, & quę modernis quoq; temporibus, aiunt eum facere.

NEſcio miraculane uel miraculoſas nugas potius dicam, quæ ſunt ſcripta in eorum libro *Mehemmedini* dicto. Aiunt enim, quod ſibi etiam perſuaſum habent, quòd cum Mecha extrueretur, Deum per Machometi preces montibus iuſſiſse, ut lapides ad ædificandum Mecham quiſq; adferret: cumq; quiſq; montium decimam lapidum

pidum attuliſſet, & ex his Mecha extructa, & completa fuiſſet: quidam mons *Araphat dagh* dictus, quum cæteris, ex longinquioribus partibus ueniens tardior eſſet, & Mecham extructam uidiſſet, cognouiſſetq; eius lapidibus opus non eſſe, cœpit flere amare. Quem quum Machomet flentem uidiſſet cauſamq; eius doloris intellexiſſet, dixit: Eſto bono animo, inquit, & noli triſtari, ſed depone in eo loco, illi demonſtrato, decimam tuam: & quiſquis ſuper eum lapidem non orauerit, illius peregrinatio inutilis, ingrataq; fiet. Et percuſſit Machomet lapidẽ pede, & eduxit ex illo aquam ad potandum inutilem, impoſuitq; illi nomen *Abzemzem ſui*, id eſt, purificationis aqua, ex qua omnes eorum peregrini in uaſculo ſecum domum deferre ſolent: & dum quiſpiam eorum moritur, ueſtimenta quibus cadauer ab eis inuolui debet, ea aqua aſperguntur in remiſſionem omnium ſcelerum eorum.

Dicunt etiam, quod nemo poteſt Mecham uenire, quin aduentus eius Machometo ſit cognitus, qui poſtea cuſtodibus (qui omnes ſunt eunuchi) per eum reuelatur: & ſi talis *Hagij*, id eſt, peregrinus raptor fuerit

aut ſceleratus, ſeu Chriſtianus, uel alterius religionis homo, dicti cuſtodes prohibent illi Mecham ingreſſum. Cæterum cadauer eius ibi non eſt, ut quidam aiunt, ſed forma imaginis in muro templi, perſona Machometi impreſſa: illam deoſculantur, & ita domum redeunt. Talia enim ſibi mendacia loco miraculorum illi infideles per Machometum habent perſuaſa: & multo magis ridiculoſa, quæ profectō pudet me hic adferre. Velim tamen ut generoſus lector interrogaret aliquem Turcarum, ſi ita ſeſe res habeant, tunc affirmabit peregrinum meram ueritatem narrare.

DE ELEĖMOSYNA EORVM.

HAbent xenodochia *Imareth* appellata, ex teſtamento Regum condita, ubi datur cibus pauperibus atque peregrinis, ſed alibi alius. Sunt qui dant orizam *Pirrincts Tſorbà* dictum cum carnibus: alibi *Boghdaias*, qui fit ex tritico, pro obſonio: additur panis ſatis magnus; potus quem præbent eſt aqua. Cæterum pernoctandi ibi aut dormiendi locus nulli conceditur, ſed habent alium pernoctandi publicum *Charuatſanrie*, ubi

ubi gratis recipiuntur hoſpitio: non habent tamen lectos,ſed in fœno uel ſtramine ſub tecto dormiunt.

DE VICTIMIS EORVM.

IMmolant etiam uictimas, ſed plerunque uotiuas *Chorban* tam Turcica quàm Arabica linguis uocatas, in morbo enim aut periculo ouem uel bouem,pro cuiuſque opulentia in, certis locis ſe ſacrificaturos promittunt, uoti deinde uictima non comburitur in holocauſtum, ut Iudæis mos eſt,ſed mactato animali,cutis, caput,pedes, & quarta pars carnis ſacerdoti præbetur, altera deinde pars datur pauperibus, tertia uicinis. Cæteras reliquias ipſi uictimatores ſibi, & comitibus parant ad ueſcendum, neque tenentur uoto, ſi è morbo uel periculo erepti non fuerint. Omnia enim illorum conditionalia ſunt:dabo ſi dederis. Similis etiam apud Græcos & Armenios, & cæteras nationes Aſiaticas Chriſtianę religionis cultus obſeruatur.

DE LEGATIS ET TESTAMENTIS.

SI quis ex Muſulmannis moriens teſtamentum condere conſtituit, talia fermè legata fiunt, adhibitis amicis & uicinis: ut aut riuos deducere ex longinquis partibus ante aliquod hoſpitale, aut templum, ſiue in locum aridum, qui frequentatur ab hominibus *Hairitſi*, id eſt, pietatis gratia, *Gnianitſi*, id eſt, pro anima. Alij captiuos, & emptitios ſeruos legant liberos faciendos. Mulierculæ autem (ut hoc genus præ cæteris ſuperſtitioſum eſt) legant pecuniam militibus, pro certa cæde Chriſtianorum, Id putant magnō ad ſalutem ſuæ ipſarum animæ prodeſſe. Reges uerō templa, hoſpitalia; extruenda conſtituunt, & alij ſi qui ſunt potentes.

DE CÆREMONIIS DEFVNCTORVM.

VBi quis moritur ex ipſis Muſulmālaris maſculus, tunc maſculi funus curant: ſi fœmina, fœminæ. Abluunt cadauer, ac nitidiſſimis lineis induunt, poſtea efferunt extra urbem in locum aliquem: nephas enim eſt in templis ſepelire. Procedunt cœroferarij cum candelis Monachi illorum, ſubſequuntur ſacerdotes cantillantes interim

rim,donec ad ſepulturæ locum perueniant. Quōd ſi pauper fuerit ille defunctus, pro laboribus religioſorum plateatim collectæ pecuniæ ſolent illis offerri.

DE ÆDIFICIO SEPULCHRI TULBE DICTO.

COnditorio ſuperædificatur(utputa Regio) templum,ipſi enim Reges in urbe ſepeliuntur: Diuitum & pauperum inſtar altaris in eam altitudinem, ut beſtiæ inſultare, aut locum conſpurcare non queant. Sæpius eō cum luctu redeunt,& inferias ciborum monumento ſuperpoſito,panes,carnes,caſeum,oua,lac,nouendialis cœna,more Ethnicorum, pro anima defuncti deuoratur ā pauperibus,aut auibus cœli, & formicis. Dicunt enim æquè gratum eſſe Deo, offerri eleemoſynam tam brutis egentibus quām hominibus,cum ob amorem Dei offertur. Multos uidi, qui auiculas recluſas, data pecunia ualoris auiculæ,euolare iuſſerint, alios panem piſcibus in flumen proijcere amore Dei, dicentes ſe pro tali pietate erga egentes mercedem ampliſſimam ā Deo conſecuturos.

DE MILITIA EORVM.

HAbent omnes unum Regem qui illorum uocabulo *Huncher Othmanlardan Sahitſultan Suleiman*, modernus ita appellatur ab eis, id eſt, Imperator ex Othomanis Sahi princeps Solomon, qui nunc habet filium primogenitum uiginti (uel circiter) trium annorum *Mutſtaſa* uocatum, excellentem ſuos anteceſſores tyrannide, atque crudelitate, ſæpe inſidiantem patri, ut ſi quomodo poſſet illum occidere, ob libidinem dominij. Sed quomodo ā patre interfectus ſit, in fine huius libri dicetur.

Habet Rex ſub ſe duos duces ſiue Satrapas *Tſangiach Begler* uocatos, Europæam & Aſiaticum, quibus ſubſunt præſides minores *Timargilar* dicti, quorum imperijs parent milites ordinarij, qui ſi ceſſant dum ad expeditionem euocantur, ſuſpendio pœnas luunt. *Baſſalar* qui interpretantur capita, plures ſunt: ij propter conſilium ſemper Regem comitantur. *Sulihtarlar* quoq;, qui ſunt ſtipatores corporis illius, ſemper poſt tergum eius ſuccedere ſolent, unā cum *Capugtſibegler*, id eſt, cubicularijs. *Iazitgtſibegler*,

ler, id eſt cancellarijs. *Eminler*, id eſt, tributi exactoribus, uidelicet puerorum, & pecuniarum. *Spahalar*, id eſt, leuis armaturæ militibus equeſtribus, multis *Vlachlaris*, id eſt, nuncijs: & alijs huiuſmodi continuē aulam ſequentibus.

DE CONDITIONE PROCERVM.

NVllus ex Satrapis poſſidet prouinciam aut ciuitatem aliquam iure hęreditario, quam poſt obitum liberis uel ſuis ſucceſſoribus poſſit relinquere ſine conſenſu ſui regis. Sed ſi aliquis Ducum, uel principum certas poſſeſſiones cupit habere, id illi conceditur hac conditione: Initur ratio precij, & redituum illarum poſſeſſionum. Cognoſcit & Turca, quot milites ali annuo illo cenſu poſſint, tunc ſatrapa illi cogitur habere illum numerum militum ſemper promptum, ad omnia imperata, alioqui capite plectitur: Nihilq; eum à belli comitatu poteſt excuſare, quám ſola aduerſa ualetudo. Et ſi quando Turcæ placuerit eum priuare tali beneficio, in eius eſt libertate: ſi autem non deponitur, ſuum eſt uſq; ad mortem, Poſt obitum, ſi ſucceſſores defun-

cti pactum obſeruare uoluerint, admittuntur: ſin ſecus, alijs prouidetur. Si aliquando aliquis iſtorum procerum cum rege loquitur, oculos humi defigit, non audens illius uultum contueri.

DE BASSIS, QVOS Conſiliarios, ſeu Cancellarios, aut potius Secretarios poſſumus intelligere.

OMnes Baſſæ plerunq; fiunt eunuchi (prout mihi narratum eſt cum eſſem mancipium cuiuſdam Conſtantinopolitani ſatrapæ) qui ſunt cæteris eius proceribus, exceptis Sangiachis, potiores apud Turcam, & omnes ferē ex raptis Chriſtianorum filijs in eam dignitatem prouehuntur. Nullus tamen eorum etiamſi habeat filiam Turcæ in uxorem, ut Hruſtan Baſſa habet, donatur caſtello, pago, ſeu uilla, quod hæreditario iure poſſideat: ſed ſi in aliquam dignitatem effertur, illam uel ad mortem, uel donec Turcæ placet, habet.

DE OBEDIENTIA quam Turcæ ſuo Regi præſtare coguntur.

Nemo

NEmo neque ex Ienitſeris, uel Proceribus armatus, uel gladio accinctus, habet licentiam per ciuitatem incedere: niſi quum Turca uenandi aut orandi gratia palatium egreditur, & ſi qui ſunt cuſtodes ciuitatis aut officiales, baculos geſtant: qui ubi litigantes, uel alteri iniuriam ſeu calumniam inferentes reperiunt, fuſtibus eos puniunt. Nec quiſpiam illi loquens, audet eius faciem intueri, ſed in terram procidens deoſculatis pedibus eius, fixis in terram oculis ſibi loquitur.

Et dum Veredarios cum literis ſuis, ad aliquos rectores prouinciarum mittit, quorum equi in itinere ubi defatigati, & ueloci curſu laſſi fuerint, facultatem habet Veredarius quoſcunque in uia repererit, equis deijcere: qui ſi in itinere neminem offendit, ad Ciuitates, uel pagos diuertit, *Cadiam*, id eſt iudicem aggreditur, qui, ſi illi equum non inuenerit, ante oſtium domus ſuæ ſuſpenditur, & hanc ab cauſam pauci equis, ſed aſinis utuntur. Et quum talis Nuncius ad eos, ad quos miſſus eſt peruenirit, a quibus honorifice exceptus, literis eorum Regis magna cum humilitate acceptis, & deoſculatis, mandatis eius mira celeritate exequutis, di-

 mitti-

mittitur. Nemo ibi princeps qui illi contradicat, nulla Prouincia uel Ciuitas (ut ſit apud nos) quę rebellet, nullus demum qui illum non timeat.

QVO PACTO TVRCÆ VIRES DIMINVVNTVR.

TVrcarum Imperator ex æquo omnes Prouincias ſuis Proceribus, ea tamen conditione diſtribuit, ut eius Prouinciæ reditibus miles continue, tam tempore pacis quam belli alatur: nunquam uires occiſo milite amittit, niſi amittat & prouinciam. Exempli gratia, ſi Imperator Turcarum nunc habeat quadringentos milites, quorum centum Hungariæ prouentibus ſuſtententur, ibi amiſſa Hungaria amittit centum milites: ſi uero nullam amittit Prouinciam & totum amiſerit militem, nihil amiſit: quia in eorum loca etiamſi plures cupit, inueniri facile poſſunt: non ſecus quam apud nos beneficia Eccleſiaſtica uel alia officia uacantia, facile poſſeſſorem inueniunt.

DE CONDITIONE CHAZILARIORVM.

Milites

MIlites *Chazilar* uocati, ſtrenui, & iure militari miro modo exercitati, qui in primo congreſſu lanceas frangunt cum aduerſarijs ſuis, nulla prorſus armatura, præterquam clypeo, haſta, framea utentes more noſtratum, ut puta lorica, galea: ſed fractis haſtis, euaginata framea, clypeo ſeſe defendentes, uiriliter pugnant, ſemper capiti, manui aduerſariorum inſidiantes, aduerſarios totis uiribus extinguere nitentes. Punctura autem gladij hoſtem, uel equum ferire, non laudi, ſed ignominiæ ducitur apud eos.

Hi omnem uitam, & ſalutem in protectione Fortunæ Deæ, ipſorum lingua *Naſſup*, ſiue *Ctſutara* dicta, habentes, cuius apud omnes prouerbium iſtud celebratiſſimum eſt: *Iazilan Gelur Baſſima*, quod ita poteſt interpretari linnua Latina, *Iazilan*, id eſt ſcriptura: *Gerlur*, id ueniet: *Baſſima*, id eſt capiti, quaſi dicerent, quicquid die natiuitatis uniuſcuiuſuis Fortuna Dea capiti inſcripſit, id euitare impoſſibile erit, etiamſi latitauerit in arce inexpugnabili. Horum enim geſta carmine in hiſtorijs deſcripta, ab omnibus recitantur, ut & cæteri eadem audacia (honoris & laudis ſtudio exciti) fortiter, & intrepide hoſtem aggrediantur. Cæterum

pro

pro qualibet uictoria talium, ſtipendia duplicantur, ita quod omnes prædicti equeſtres debent regem ſequi, inſtructi his armis, lancea, framea, ſagittis, claua ferrea: alij habent clypeos, alij non, & ſemper accipiunt ſtipendium, tam tempore pacis, quam belli.

DE ORDINE PEDITVM.

PRrimus ordo peditum eſt *Solachlarum*, id eſt, ſagittariorum, tales utuntur arcu, ſagittis, frameis, differunt pileis a Ienitſeris. Secundus ordo eſt Ienitſerorum, illi etiam habent arma ſimilia Tſolachlarum, pro arcu tamen & ſagittis harcabuſo utuntur, & una ſecuri. Tales omnes collecti a Chriſtianis ibi degentibus ſub tributo, ui abrepti circuncisi, in loco *Tſarai* dicto, educati, contra Chriſtianos pugnant ſtrenuiſſime, & habent ſatis exigua ſtipendia uictui: uidelicet alius quatuor, alius quinque uel ſex nummos *Ahtſe* uocatos, qui ſexaginta Coronatum conficiunt: & hi ſub pœna uitæ non poſſunt equitare, niſi ægrotent. Reperiuntur etiam ex filijs Turcarum facti Ienitſeri quamplurimi.

Tertius ordo peditum Azaplarum eſt, quorum

quorum finito bello finitur & ſtipendium: & ſunt omnes filij Turcarum. Tales utuntur longiori haſta, framea, pileos habent rubros, uel alterius coloris ex panno, cum quatuor angulis corniculatis, *Tachia* dictis; & differunt a Ienitſcris & Solachlaris ueſtitu atque armatura: tales perfodiunt hoſtium equos in bello. Deinde aliud genus peditum ex Vualachia ſectæ Græcorum; *Voinichlar* uocati, hi nihil aliud habent ſtipendij a Turca, quam quod immunes ſunt a tributi ſolutione, & decimis. Tales tenentur ocioſos equos Regis Turcarum proprijs ſumptibus alendo, curamque illorum gerendo, ducere tempore belli.

DE TENTORIIS REGIS TVRCARVM.

CVM Conſtantinopolim relinquens Turcarum Rex ad bellum proficiſcitur, duo uſurpans tentoria, cognomento *Satorlar*, cum hodie alterum ad proximam manſionem figitur, ut ibi poſtero die recipiatur. Magnitudo tabernaculi tanta eſt, ut procul uiſentibus urbs uideatur: proximo caſtrametantur Principes, & ambiunt Regis ſui tabernaculum: deinde equites, qui uel ſinguli;

guli,uel terni tentorium habent. Etiam pedites habent propria tabernacula, id enim ex diſciplina habent, ne quis ſub dio cubet. Ituro exercitui ſtratores uiam faciunt, hinc inde collocantes aceruos lapidum, uel ſtrues lignorum,ad indicium uiæ, adeo ut ne in tenebris quidem facile erretur. Mouent ſe media nocte, & uſque meridiem ſequentis diei in agmine ſunt.

Inter equitandum Rex in medio duorum Baſſalarum cum illo colloquentes incedunt, quos præcedunt aliquot Ienitſerorum ordinis milites in equis, ferentes candelas ardentes : & hoc fit tempore noctis obſcuro. Deinde *Tſauslar*,id eſt,Capitanei, clauas habentes ferreas, undique cuſpidatas, pellunt homines a conſpectu Regis,ad iactum,uel curſum ſagittæ,ibi *Sulihtarlarum*, id eſt ſtipatorum copia, inter quos currus cynedis pleni,in uſum Turcæ, & Procerum. Subſequuntur & præcedunt iam dicti Duces cum maximo milite equitum, & peditum, & diuerſæ conditionis hominum, alij habentes ſtipendia, alij quæſtus gratia & lucri, maſculi tantum, nullas ſecum ducentes mulieres.

DE VECTVRA ANIMALIVM.

DEinde ſequitur multitudo Camelorum, mulorum, equorum (interdum ſolent & Elephantes eorum lingua *Phil* dictos, deducere) portantes uictualia, tentoria, & ſimilia militi neceſſaria. Et ubi figitur tentorium Turcæ, ibi iam ſingula ſuo ordine tanquam in urbe parari debent. Ibi locus Sartorum, Piſtorum, Macellariorum: alij parant epulas carnium omnium generum, qui ſi non potuerint habere carnes recentes, tunc exponunt ea quæ ab animalibus uehuntur, uidelicet, panes bis coctos, carnes ſiccas, *Paſtarma* dictas, caſeum, lac coagulatum. Sunt enim patientiſſimi famis, ſitis, frigoris.

Raro hoſpitantur in urbibus, ſed in agris ſub tentorijs, circa fœnilia & riuos, maiorem gerentes curam animalium, quam ſui ipſorum, paruo & ſatis uili cibo contenti, uidelicet, dicto lacte coagulato aqua temperato, & immiſſo pane, uel recenti, uel bis cocto, ſerui paritercꝫ domini. Ibi ſilentium tempore noctis magnum, adeo ut captiuos fugientes negligant, ne clamor excitetur, ob

pœna

pœnam iniunctam: ſed cum uadunt cubitum, & cum ſurgunt ad proficiſcendum, omnes alta uoce clamant hæc uerba, ter repetentes, *Alláh Alláh Allahu*, id eſt, O Deus, ter repetitum.

DE IVSTITIA QVÆ EXERCETVR IN BELLO.

TAnta ſeueritas diſciplinæ ſit in bello, ut nemo militum auſit aliquid iniuſte rapere, alioquin ſine miſericordia puniretur: habentur enim inter eos ordinarij cuſtodes, ſiue defenſores earum rerum, quæ in uia occurrunt militi, ut pueros octo uel decem annorum portantes uenales panes, oua, fructus, auenam & ſimilia. Tenentur quoq; defendere dicti præfecti hortos fructuum circa uiam ſitos, adeo, ut nec ipſi audeant unum pomum, uel huiuſmodi ſimile, ſine licentia poſſidentis carpere, alioquin & tales capitis pœnam luerent. Cum eſſem in exercitu Turcæ in expeditione contra Perſas, uidi Tſpahiam una cum equo, & miniſtro decollari, quod ſolutus equus arua cuiuſdam ingreſſus fuerat.

DE FESTO CELEBRANDO OB VICTORIAM TVRCÆ.

CVm renunciatum fuerit de uictoria, in omnem lætitiam ſeſe effundunt ciuitates. Noctu autem ſub primam facem, auſpicantur triumphalem iſtam feſtiuitatem, funalia cereæ tedæ, faces, ubiqꝫ diſponuntur: ſtragulis, aulæis, ueſtibus holoſericis ædes uelantur, & uia, qua intraturus eſt Imperator Turcarum. Triumphum autem uerum reportat Conſtantinopolim, ubi continue reſidet, ſi non agit bellum in aliquas regiones. Legibus tamen tenetur tribus annis elapſis ipſemet ſuſcipere expeditionem in regiones Chriſtianorum, pro amplificatione regni, uel defenſione.

DE VENATIONE EORVM.

NVlla natio ſub Sole tantum gaudet uenatione, quantum Turcica. Penetrant enim inſequendo feras loca aſpera & montuoſa in equis, capientes diuerſa animalia, & ſi animal extinctum à canibus ſuffoca-

tum fuerit, illa non ueſcuntur neque ipſi, ſed nec Chriſtiani inhabitantes illas regiones. Et ſi caſu occidunt aprum, dant illum Chriſtianis illarum regionum, quia Muſulmanis prohibitum eſt ueſci porcorum carnibus.

DE OPERARIIS ET AGRICOLIS.

RVSTici per ſeruos ſuos agros colunt, qui decimam dependunt ſuo Imperatori. Opifices uerò artibus mechanicis ſe ſuſtinent. Qui ocium colunt, fame contabeſcunt. Mercaturam quoque ſtrenuè exercent. Aſiam minorem, quam nunc Natoliam uocant, Arabiam, Aegyptum peragrant, ad Venetos ſeſe deferunt.

Balnea in ſingulis ciuitatibus habēt, ubi ſolenni more, bis, uel ter ſe lauant. Si reddunt urinam, m[illegible]onem ſiue mentulam lauant. Si uentrem [illegible]luunt, podicem abluunt: idem fit à mulieribus, quos ſequuntur ſerui, uas aquæ plenum geſtantes, maſculum maſculus, & fœminam ancilla. Et cum exeunt

eunt lauatum, mulieres ungunt ſe quodam genere unguenti, quod poſt mediam horam pilos cadere facit, uiri ipſimet radunt mutones, nec quouis modo ſinunt creſcere pilos, ſed ſingulis menſibus bis uel ter faciunt, tam maſculi quàm fœminæ: & maximè cum templa frequentant, alioquin ignibus (ut uiolatores ſacri loci) traderentur. Habent etiam diuerſos artifices, ut ſartores, ſutores, auri, argenti, & omnis generis metalli fabros, ſimiliter carpentarios, pictores, lapicidas, ſed non tam ſubtilis & præſtantis ingenij, ut in iſtis partibus noſtris.

DE IVSTITIA APVD CIVES.

IVDICem omnes habent eundem, tam Chriſtiani, quàm Turcæ: ex Muſulmanis tamen unum electum, qui ex æquo omnibus ius miniſtrare tenetur Si quis occidit, ipſe quoque mortem ſubire debet. Si quis furatur, aut uiolenter rapiat, ſuſpenditur. Vt contingit Ienitſero cuidam, qui mulierculæ cuiuſdam portantis in forum uenale lac ebiberat, non ſoluendo precium, cum accuſatus coram Iudice negaret factum, pedibus ſurſum ſuſpenſus, chordaque per medi-

um ligatus, lac ſtatim euomuit, atq; ilico iudicio ſtrangulatus. Hoc me præſente in Damaſco contigit, cum ex Armenia Hieroſolymam proficiſcerer.

Si aliquis adulterium commiſerit, maſculus in carcerem coniectus, poſt aliquot menſes pecunia redimitur: & mulier uidelicet adulterata, ſuper aſinam uicatim & plateatim ducitur, flagris cæditur denudata, & lapidatur uiſcera bouis in collo habens.

DE AGRICVLTVRA.

TAM Chriſtiani, quàm Muſulmani, agros, uineas, & paſcua colunt, habentes frumẽtum ſimile noſtrarum regionum, tritici, milij, hordei, auenæ, ſiliginis, fabarum, & omnium generum legumina: inſuper oryzam in abundantia, lini, bombacis, pluſquam hæ regiones. Vineta quoq; utraq; gens poſſidet, fructu eius uarie utentes. Chriſtiani uinum conficiunt, & Turcæ mel eorum lingua *Pecmez* uocatum, uuas paſſas quaſdam ita medicantur, ut ſemper & uiſu, & guſtu recentes appareant, has *Vzum Turſſi* uocant.

De fructibus in magna copia habent.

Ibi

Ibi peponum, melonum, cucumerum, ſuo tempore horti & agri repleti. Ibi nuces, poma, pyra, mala punica, nuces caſtaneæ, ficus, ceraſa, poma narranza, & alia id genus uili precio, ſed non in omni regno. Sunt etiam loca ut paſſim in Cappadocia & Armenia minori, ubi nihil horum (propter ualidum frigus) poſſunt habere.

DE DIVERSITATE ANIMALIVM.

HAbent opiliones *Sobanlar* appellatos, hi ſemper in ſolitudine degunt, & ad pabulum ſingulis fere menſibus ſedes mutant, nullas prorſus domos, uel poſſeſſiones prȩter tentoria, & greges armentorum poſſidentes, ſed paſcunt camelos, mulos, equos, boues, oues, & hœdos: conficiunt caſeum, butyrum: tondent lanam, inde faciunt penulas *Ghepenech* appellatas, tapetia, ea uendunt & inde emunt frumentum, ad uictum ſuæ familiæ. Omnes prædicti dependunt decimas Regi Turcarum, de omnibus quolibet anno creatis animalibus. Inſuper Chriſtiani ſub tributo uiuentes, coguntur dare tributum, uidelicet, de quolibet maſculo unum coronatum, & quod eſt crudeliſſi-

 mum

mum, etiam filios omnes uxores non habentes, ui abripiunt, ſingulis quinq; annis perluſtrantes domos eorum.

DE ÆDIFICIIS DOMORVM.

IN ædibus non multa magnificentia, pleræq; laterício opere conſtant, duplici ex materia: ſunt enim lateres, alij fornacibus, alij ſole excocti. Tecta cuneatim coeunt, quemadmodum hic,& hoc in tota Europa: ſed in Natolia tecta plana ſunt in modum tabulati,ſine ullo feſtigio,ſciphones,& canales aquæ pluuiam demittunt, quæ ad illos per Cylindrum deuoluitur.

DE VESTIMENTIS EORVM.

CVltus illis ex materia lanæ,lini, & ſerici,ſatis magnificus,ueſte *Chautan* uocata,utuntur ſtricta, laciníoſa, & uſq; ad talos prolixa, brachas noſtras deteſtantur, ut nimium pudenda exprimentes. Induſia *Gumlech* dicta, ſudariola uiolaceo colore tingunt, caput illis aggeſtu pepli in turrim ædificatur, & in pyramidem turbinatur,& talis

44

lis pileus *Tulbent* ſiue *Salma* eorum lingua uocatur. Mulieres diuitum uelata facie incedunt, nunquam alienis uiris uultum aperiunt,nunquam forum frequentant. Calciamenta *Babucs* uel *Cſiſme* dicta,tam uirorum quām mulierum,in ſolo ſuppactum habent, ut diutius illis uti poſſint.

*DE CIBARIIS IL*LORVM.

VTuntur & ipſi quoq; non peſſimo pane *Echmech* dicto,nigro & albo, quemadmodum & noſtrates, ſed illi ſpargunt quoddam genus ſeminis *Suſſam* uocatum, ſuper recentem panem, poſtea coquitur, quod tribuit magnam ſuauitatem manducantibus,quo nuſquam utuntur noſtri,præterquam in Hiſpania paſſim in quibuſdam locis, uidelicet in regno Granatæ, & circa Ciuiliam. In edulijs illis multiplex ars, & uaria conditura : cibus uerò maximè ſolennis eſt,plus ex oryza, ita addenſata, ut partes inde manibus decerpantur. Piſcium mira abſtinentia. Carnibus omnibus utuntur,præter porcinis. Nullæ ibi tabernæ hoſpitijs deſignatæ, aut publica diuerſoria, quemadmodum apud noſtrates, tamen in

plateis diuerſa uenduntur cibaria,&alia huiuſmodi ad uictum neceſſaria.

DE POTV ILLORVM.

TRriplex illis potus: Primus ex ſaccaro,ab illis *Secher* uocato, aut melle diluto aqua *Tſerbeth*, appellatur potus. Secundus ex uuis paſſis detractis acinis in aqua decoctis, additur deinde aqua roſacea, & aliquantulum ueri mellis, & hic potus *Hoſſaph* uocatur, & uenditur ubiq; locorum in Turcia,eſt enim dulcis & inflat uentrem. Tertius fit ex illo defruto *Pechmez* appellato, quod ex muſto factum, ſpeciem mellis præ ſe fert guſtu & uiſu,diluitur enim aqua, & datur ſeruis ad bibendum.

*DE MODO SEDEN*DI, ET COMEDENDI.

CVm manducandum eſt, ſubijciunt ſtoreas *Hactſer* uocatas, deinde inſternunt tapetia, aut puluinaria. Alij in nuda humo diſcumbunt. Menſa illorum *Tſophra* dicta, ex corio fit, & explicatur, & contrahitur, ut marſupium. Non aſſident noſtrorum more,

re, nec diſcumbunt ueterum ritu, ut cubito innitantur, ſed decuſſatim pedibus inter ſe complicatis more ſartorum: antequam cibum ſumant oratio præmittitur.

Raptim comedunt, & magno ſilentio, interim omnes uxores in abdito tenent: ſerui uerò poſt duodecimum annum, non permittuntur domum, ubi mulieres ſunt, ingredi, ſed infra duodecimum annum pueri ingredientes, & egredientes deferunt maioribus neceſſaria, qui in alia domo ſegregati procul habitant. Captiuæ uerò non habent licentiam egrediendi foras, niſi cum mulieribus Turcarum cum uadunt in balnea lauatum, uel aliò extra urbem recreationis cauſa in hortos & uineas (quod ſæpe facere ſolent) ſed ſemper in domibus latitantes operantur, nec permittitur illis cum captiuis ſeruis conuerſari, prout ſuo loco, uidelicet in ſequenti capitulo de Affli&ione captiuorum, legentes latius intelligere poterunt.

*

SALVTATIO *TVRCARVM PERSARVM ET ARABVM, HÆC EST.*

Sellam *alieh* *Tſultanim.*
Pax tibi Princeps.
Sellam *aliech* *Baba.*
Pax tibi Pater.
Sellam aliech Ana. Pax tibi mater,&c. Ita & alios ſeriatim ſecundum dignitatem perſonæ ſalutare licebit.

RESPONSIO. eorum.

Alechmi *Sellam* *Rachmatullach.*
Et tibi quoq; pacem donet miſericors Deus.
Berechyat *tſeudigum.*
Benedictionem amice mi.

DIALO-

DIALOGVS IN-*TERROGATIONVM, ET*

reſponſionum Turcæ cum Chriſti-
ano. Et primo Turca ad Chri-
anum hoc modo.

Handa gidertſen bre Giaur?
Quo uadis ò Chriſtiane?

RESPONSIO
Chriſtiani.

Stambola giderum Tſultanum.
Conſtantinopolim uerſus pergo Princeps.

TVRCA.

Ne iſſum uar bu memleketten?
Quid negotij habes in his regionibus?

CHRISTIANVS.

Bezrgenlik, ederum, Aſſendi,
Mercaturam exerceo Domine.
uel, *Maslahatom, uar, anadolda.*
Mihi negotium eſt in Aſia.

TVRCA.

Me habar ſcizum gilerden?
Quid noui fertur in ueſtris partibus?

CHRISTIANVS.

Hits neſte bilmezom tſaa dimege.
Neſcio quid noui ſcire cupis, ut dicam tibi.

TVRCA.

Hioldaſſum

Hioldaſſum uarmi tſenumle?
Eſt ne tibi comes?

CHRISTIANVS.

Ioch, ialanuz, gheldum,
Non, ſed ſolus, ueni.

TVRCA.

Benumle, gelutmiſun?
Mecum placet ne uenire?

CHRISTIANVS.

Irachmider tſenum iataghom?
Eſt ne procul tuum hoſpitium?

TVRCA.

Iachender bundan guſtereim tſaa.
Prope eſt, hinc oſtendam tibi.

CHRISTIANVS.

Gel ghuſteriuere Allaha tſeuertſon.
Veni oſtende, ſi Deum Amas.

TVRCA.

Kalch iochari tur honda.
Erige te ſurſum, ſta hic.

CHRISTIANVS.

Hanghi daraftan der bilmezum
In qua parte eſt, neſcio.

TVRCA.

Tſag eline bachá ghun doghtuſine
Ad dexteram reſpice ad orientem.

CHRISTIANVS.

Bir buch euu atſarhibi

Vna alta domus tanquam caſtellum
gurunur omider?
apparet, illudne eſt?

TVRCA.

Gerskſon oder, iaken deghilmi?
Verus es, illud eſt, prope nonne eſt?

VALEDICTIO.

CHRISTIANVS.

Alaha tſamarlodach tſeni
Deo commendo te,
Ben oraa gitmezom.
Ego illac non ibo.

TVRCA.

Bre neden korkartſon? nitcie gelmetſon?
He quem times? quare non uenis?

CHRISTIANVS.

Benum iolum oraa deghelder.
Meum iter illac non eſt.

TVRCA.

Vargeth tſagloga eier ghelmeſon.
I bonis auibus, ſi non uis uenire.

CHRISTIANVS.

Gegſien hair oltſon.
Nox fauſta tibi ſit.

TVRCA.

Aghbate hair oltſon.

Et

Et tibi fœlicior.

Ben kurtuldom tſoch ſuccor Allaha.

Ego liberatus ſum, ſumma laus Deo.

Hæc pauca Turcicæ linguæ uocabula tibi non neceſſitatis ſed delectationis gratia generoſe lector adiunxi: ut ſcias quam ſint craſſa atque barbara. Faxit Deus Opt. Max. ut illis noſtra magis, quã nobis eorũ ſint neceſſaria. Vale.

IOHAN. GOT. CHRI-
STIANO LECTORI.

Afflictum à Turcis uis Chriſtum noſcere Lector?
Membra libro hoc Chriſti dilaniata teges.
Chriſtiadum ut manibus manicas funesq; lacertis,
Et collo iniiciat uincula Turca ferox.
Vt pecudis ritu hos uendat, (ſi fortè quis æger
Occidat, ille feris obuia præda iacet.)
Vt profugi trabibus nantes mergantur in undis
Paßim: his captos ut mala dira premant.
Fiat ut & Chriſti myſtes agitatur aſelli,
Lignum uendat, oues paſcat, aretq; ſolum.
Vt Mahometæo iuuenesq;, ſenesq; tyranno
Annua dependant lege tributa pari.
Vt doleat mater coram ſua pignora cernens
Seruitio abduci Rex Solymanne tuo.
Denique tormenta inuenies hoc ſcripta libello
Horrida, Chriſtiadum quæ pia turba luge.

DE AFFLICTI-
ONE TAM CAPTI-
VORVM, QVAM SVB TRI-
buto uiuentium Chriſtianorum
Caput 2.

Quomodo Chriſtiani in bello à Tur-
cis capti diſtrahantur.

SVSCIPIENTI TVR-carum Imperatori, aduerſus Chriſtianos expeditionem, inter reliquos mercatores ſemper comes eſt ingens turba mangonum, & laniſtarum, camelis inſidentium: hi in ſpem mancipiorum longiſſimas catenas ſecum deferunt, in quibus facilè quinquageni aut ſexageni per ſeriem colligantur. Iidem quoſcunque non abſumit hoſtilis gladius, à prædatoribus emunt, quod illis ea lege permiſſum eſt, ſi Principi decimas mancipiorum præſtent, reliquos ipſis uel in ſuum uſum, uel ad nundinationem detinere fas eſt, nec ulla apud illos uberior aut frequentior mercatura, ut & olim apud Romanos fuit, qui merces nullo uitio emptas, & in quibus euictio timeri non debuit, res mancipi appellabant,

Quibus

*QVIBVS REBVS TVR*carum Imperator ſuos captiuos detinet.

SEnes & utriuſq; ſexus iuuentutem, quæ illi decimarum nomine obtigit, ita diſcernit, ut grandiorem ætatem ad agriculturam uendat, qui tamen rariſſime capiuntur: raro enim eis parcunt, quos ætas multorum annorum parum uendibiles fecit. Puellas uero & iuuenes ad certum locum relegant, qui ipſorum lingua *Sarai* uocatur, ut ibi certis artibus inſtruantur, quò illis in poſterum commodius utantur, ac primum id agitur, ut abnegata Chriſtiana fide, circuncidantur.

Iamq; eorum cæremonijs initiati, diligenter penſitatis per Phyſiognomiam linimentis corporis, pro cuiuſq; indole, uel ad leges eius gentis diſcendas, uel ad militiam deſtinantur, ſi maior uis corporis quam ingenij appareat: danturq; in ſtipendium quotidianum duo uel tres *Abcſe* nummi, quos *Aſpras* uocant, qui ſexaginta, faciunt unum coronatum: id ad cibarium & ueſtiarium ſufficere arbitrantur, donec in expeditionem ſit abeundum. Rudimentis militiæ ita imbuuntur, primum pro tene-

ritudine uirium datur leuior arcus, mox creſcente robore,& peritia,grandior ac grauior,donec bello ſit idoneus. Adeſt magiſter ſeueriſſimus exactor quotidiani exercitij, quotieſcunq; a ſcopis errant, toties flagris cæduntur, atq; iſti aſcribuntur ordini *Solacrarorum*, id eſt ſagittariorum.

Alij in hoc erudiuntur, ut Ienitſeris cooptentur : iſti quoq; ſuos præceptores habent, qui illos ad quotidianam batuationem cogunt,bini,inter ſe baculis decertant. Reliqui proh nefas, in quibus maior gratia formæ, ita abſcinduntur, ut nihil uirile in toto corpore appareat, grauiſſimo cum diſcrimine uitæ : quòd ſi euadant,non in aliud ſunt incolumes quam in obſequium ſceleratiſſimæ libidinis,mox ſeneſcente pulchritudine,ad officia eunuchorum,ut matronas ſeruent, deputantur, aut cuſtodiendis equis & mulis, aut culinæ miniſterijs addicuntur.

QVOMODO AGATVR cum puellis, & reliquis mulieribus.

Quæ

QVAE luculentæ pulchritudinis ſunt, eliguntur in concubinas: mediocres dantur matronis ad officia pediſſequarum, inter quæ adeo ſunt nonnulla fœda miniſteria, ut honeſte dici non queant: coguntur enim illas ſequi cum uaſculo aquæ, quando ad exonerandum aluum, & perpurgandum eas partes egrediuntur. Aliæ ancillaribus operibus, ut textrinæ mancipantur. Nullis ex omnibus liberum eſt uel Chriſtianam fidem reſeruare, aut ſpem liber tatis quam diu uiuit, concipere.

QVOMODO RELIQVI Turcæ cum mancipijs agant.

HActenus quid Imperator Turcarum agat, diximus: nunc quid priuati iſti, cum primum nouitios adepti ſunt, omnibus minis, promiſſis, blanditijs agunt, ut recens mancipium circunciſionem admittat: id ubi fecerit, humanius aliquanto tractatur, cæterum ſpes redeundi in patriam plane abſciſſa eſt: conanti enim id pœna incendij deſtinata eſt. Hi quia firmiores creduntur, ac minus fugaces, ā dominis ad miniſteria caſtrenſia aſſumuntur, libertas tum demum competit, ubi uel ipſe annis inutilis

potius reijcitur à domino, quam dimittitur: uel ubi dominos in bello inter pericula mortis libertatem legarit.

Matrimonia illis quidem permiſſa ſunt, ſed liberi eorum pro arbitrio Domini diſtrahuntur, quæ res ſapientiores à nuptijs abhorrere facit. Alios qui circuncisionem repudiant, immaniter tractant: quam miſeriam per tredecim annos expertus ſum: nec ullis uerbis conſequi poſſum, quid ſit calamitatis in hoc genere uitæ.

QVOMODO AGATVR cum Chriſtianis artium Mechanicarum ignaris.

DVRISſima illorum ſors eſt, qui artes mechanicas non didicere: Eæ enim ſolæ ibi in honore ac precio ſunt, quamobrem literati, ſacerdotes, nobiles homines, qui in ocio uitam degerunt, ubi in horum manus uenere, omnium miſerrime habentur. Mango enim in illos, utpote uix uendibiles, nullos ſumptus facere ſuſtinet, hi pedibus capitibusq; intectis, ac plerunq; maiore parte corporis nudi inambulant: nullus enim nouus cultus detritis ueteri-

bus

bus ueſtimentis ſuccedit, per niues, per ſaxa, æſtates & hyemes detrahuntur, nec finis donec uel moriantur, uel ſtultum dominum, qui malam mercem emat, inueniant, talis enim illorum eſt iudicatio.

Cæterum nemo omnium tam eſt fœlix, cuiuſcunq; uel conditionis, uel ætatis, uel artis, uel formæ, ut eum in itinere ægrotantem apud hoſpitem deponat. Primum cogitur flagris ire, id ſi non poteſt, iumento imponitur, ibidemq; ſi ſedere nequeat, prono corpore alligatur, non aliter quam ſarcina aliqua, aut mantica: morientem detractis ueſtibus in proximam foueam aut uallem canibus & uulturibus abijciunt.

QVOMODO RECENTER capti in itinere tractentur.

NOn ſolum perpetuæ catenæ concaptiuos includunt, ſed manibus quoq; in itinere manicas addunt: paſſus unus inter ſingulos interſtitij eſt, ne ſe mutuo conculcent: id ideo faciunt, ne à mancipijs lapidentur. Quum enim ſinguli mangones ingentem numerum ducant, adeò ut decem ſæpe quingentos homines concatenatos habeant, uim metuunt tantæ multitudinis, ſi ad ia[illegible] liberas manus haberent.

rent. Cæterum ubi nocti concedendum, uinculis quoq; pedes onerant, eosq; ſupinos omni iniuriæ aëris exponunt.

Mulieribus uero humanior conditio eſt, quæ ualent robore, pedibus incedunt: teneriores in iumentis uectantur: quæ adeo infirmæ ſunt, ut iactationem iumenti non ferant, in corbibus tanquam anſeres geſtantur. Nox illis triſtior eſt, aut enim munitis locis includuntur, aut mangonum impurã libidinem pati coguntur. Auditurq; ingens ploratus per tenebras adoleſcentium utriuſq; ſexus uim patientium, nec ſexennis aut ſeptennis ætas miſeros â tali fœditate defendit, adeo ſcelerata gens, & contra naturam & ante naturam libidine ſæuit.

QVOMODO VENALItij tractentur.

VBI dies illuxit, in forum uenales tanquam greges ouium, aut caprarum producuntur. Conueniunt mercatores, ſtatuitur pretium: ſi placet mancipium, detractis ueſtibus futuri domini oculis exponitur, inſpiciuntur omnia membra, tentantur, explorantur, nunqu[illegible] in iuncturis aut

aut articulis reſideat. Si diſplicet, reijcitur ad mangonem, toties id paſſurus, quoties empturiens aliquis aduenerit: ſi placet abducitur ad grauem ſeruitutem, ut uel arator, uel paſtor ſit, ne duriora commemorem. Multa ſunt ibi inaudita exempla miſeriæ. Cęterum homines iugo copulatos aratrum ducere nonnunquam uidi. Ancillæ arctiſſime habentur in perpetuis laboribus & extra conſpectum uirorum, & ne cum conſeruis quidem illis ulla confabulatio permittitur.

Si quis cum uxore & liberis captus fuerit, hunc libentiſſime magnates emunt, & uillis præficitur, ut curam uel aruorum, uel uinetorum, uel paſcuorum agat, nati ex illis uernæ fiunt. Si in Chriſtiana fide perſeuerauerint, ſtatuitur certum tempus ſeruiendi, quo elapſo liberi fiunt: filij tamen eorum niſi redimantur, in ſeruitute manent, pro domini arbitrio, uel in ijſdem ſedibus manſuri, uel alio transferendi: nulli enim ibi ſunt aſcriptitij glebæ, quibus certa ſit ſedes ſeruitutis. Si cupiunt poſt adeptam libertatem in patriam redire, dantur diplomata commeatus. Verum illis qui noſtram religionem abiurarunt, nec certum tempus eſt ſeruien-

di nec ullum ius in patriam redeundi, ſpes libertatis ſolummodo pendet ā domini arbitrio, ubi tamen libertatem nacti fuerint, ſoluunt decimas ut cæteri Turcæ, ā reliquis tamen oneribus, quibus Chriſtiani premuntur, immunes ſunt.

DE ILLIS CAPTIuis quos paſtores faciunt.

DVra uita agricolarum, durius tamen agunt qui ad paſtoricias curas emuntur, uiuendum illis in ſolitudine, perpetuō noctes & dies ſub dio agendum: dominus cum uxore ſolus in tentorio uerſatur,& prẹter tuendi gregis officia, penulas & tapetia ſucceſſiuis horis facere coguntur. Singulis menſibus paſcua mutant, de montibus in montes ſe transferentes.

Qui humaniores ſunt, dant aliquam mercedulam ſeruis, qualem dimenſum fuiſſe apud Romanos legimus, id in peculium cedit, quod conſeruant uel in uiaticum, ſi in patriam poſt libertatem adeptam redire uelint,uel ad alias neceſſitates uitæ. Cæterum id non ubiq; fit, eſt autem illud miſerum blandimentum ſeruitutis, quo illos ā conſi-

conſilio fugæ retrahunt. Illis autem qui Chriſtum abnegarunt, iamq; recutiti ſunt, quia certi ſunt, quod non fugient, nihil tale indulgetur.

DE FVGA CAPTIVORVM EX EVROPA.

FAcilior fuga illis, qui in Europa agunt, quam qui in tranſmarinas regiones uenduntur: his enim præter flumina nihil traijciendum, quæ facile enantur, maior difficultas in Helleſponto tranſmittendo. Qui autem fugam inſtituunt, tempore meſſis id ſoliti ſunt facere, ut & facilius in ſegetibus lateant, & inde uictum habeant, noctu autem fuga initur, per diem aut in ſyluis, aut in paludibus, aut in ſegetibus ſeſe abdunt, maluntq; à lupis alijsq; beſtijs deuorari, quam ad ueteres dominos retrahi.

DE FVGA EX ASIA MINORE.

QVI ex Aſia fugam moliuntur, Helleſpontum petunt, inter Gallipolim & arces illas olim Seſton & Abidon nunc autem *Bogaz Aſar* dictas, id interpretari po-

teſt,caſtella faucium maris, ibi enim mare anguſtiſſimum eſt. Hi ſecum deferunt ſecurim & funes,ut & ligna cædant,& colligant quo inde ratem faciant ad traiectionem maris, nihil niſi ſalem ſecum deferentes, nocte raticulam inſcendunt. Si uenti & fortuna maris fauet, tribus aut quatuor horis traijciunt, ſin minus, aut pereunt in fluctibus, aut ad littora Aſiæ reijciuntur. Emenſo mari montes petunt, polumq́, & booten inſpectantes ad Boream tendunt. In fame glandibus aut herbis ſale conditis ſeſe ſuſtinent.

Si plures ſocietatem fugæ inierint,noctu opiliones inuadunt, quibus occiſis, quicquid ibi alimenti inuenerint, ſecum aſportant,ſæpe tamen & ipſi pereunt occiſi ab opilionibus,uel ab eiſdem capti, & priſtino hero traditi,ad ueterem ſeruitutem rediguntur. Cæterum longe plures pericula abſumunt,quam incolumes euadunt: aut enim naufragijs,aut dentibus beſtiarum, aut ferro inimicorum,aut poſtremò fame pereunt, cum longior erratio in fuga contigerit.

DE POENA FVGITIVORVM.

FVgitiuis multiplex pœna: aliȷ enim ſuſpenſi pedibus duriſſime flagellantur, qui enim homicidium comittmunt, illis plantæ pedum in multos ſulcos cultro reſcindũtur, & reſciſſis ſal inſpergitur: quibuſdam furca ingens ferrea cum ferro collari inſeritur, quam dies noctesq; in longum tempus geſtant.

DE GRÆCORVM, ET ARMENIORVM PIETATE erga captiuos.

MOrtis pœna & confiſcatio omnium bonorum illis infligitur, qui captiuorum fugam inſtituunt. Tamen non ceſſant Armeniȷ & Græci captiuos Chriſtianos apud ſe occultare, & deformatos ſuo cultu deducere ad naues Venetas, uel aliorum Chriſtianorum, dantq; uiaticum & omnia neceſſaria, nec ullum pietatis genus omittunt: eandem enim pietatem noſtrorum aiunt ſe experiri, ſi quando Romam uel Compoſtellam uenerint.

DE INCANTATIONE Turcarum contra fugientes.

Habent

HAbent quoddam genus incantationis, quo inuitos retrahunt. Nomen ſerui in ſchedula ſcriptum ſuſpenditur in tabernaculo, uel domicilio ſerui, deinde diris uerbis & deuotionibus illius caput impetunt: deinde fit ui dæmoniaca, ut fugiens putet ſibi in itinere uel leones uel dracones incurrere, uel mare uel flumina contra ſe exundare, uel omnia tenebris nigreſcere, ijſq; terriculis repulſus ad herum redit.

MEMORIAM CHRISTI paulatim in prouincijs olim Chriſtianis aboleri.

SVperſunt adhuc aliqui, qui meminere expugnationē Conſtantinopolis, & regna Græciæ, Albaniæ, Valachiæ, Seruiæ quam *Boſnam* uocant Turcæ, in prouincias redacta, illi quidem Chriſtum tenaciter retinent, ſed iuuentus dediſcit, breuiq; futurum, ut plena ſit obliuio Chriſtianitatis. Idem futurum in Croatia, Hungaria, Sclauonia, quæ recentia additamenta ſunt & auctaria Turcici imperij.

QVÆ CONDITIO DEBELLATORVM.

Vbi

VBI prouinciam cepit,omnia prouincialiū bona tā mobilia quā immutabilia in prædā cedūt. Nobilitatē ſtirpit9 excindit, præcipuè Regiam ſobolem. Et quōd nunc Ioannis Regis filio fauent, non alio conſilio faciunt, quām ſi illis Hungaria adimatur, tum immittant ad res nouas moliendas: ubi illis ſecura poſſeſſio Hungariæ fuerit, haud dubiè è uita tolletur: nam Turcæ in ea re nec generis, nec ſoceris, imō ne fratribus quidem parcunt.

Clericos ſi non occidunt, omni fortuna & dignitate nudatos ad ludibrium & mendicitatem relinquunt. Campanas omnes & organa, & alia inſtrumenta Muſica templis adimunt, imō ipſa templa prophanata ſuo Mehemmeto conſecrant: Miſera & humillima ſacella Chriſtianis relinquunt, ubi ſacra non publicē ſed diſſimulanter & ſilentioſe faciant: quæ ubi uel terræmotu corruerint, uel incendio deflagrauerint, uel ætate computruerint, non licitum eſt inſtaurare, niſi magna pecunia depenſa.

Concio & annunciandi Euangelij munus planē interdicitur: nec fas eſt quenq̄ Chriſtianum Remp. attingere, aut arma ge-

ſtare,

ſtare aut ſimili cultu cum Turcis indui, aut quæ hilarioris uitæ ſunt, ſpectacula edere, uel choreas ducere. Si iniuria fit contumelioſiſſimis uerbis uel tibi, uel Chriſto, tacendum atq; ferendum eſt. Quod ſi aliquid indignius contrà loquaris de eorum religione, inuitus circumcideris: tum ſi hiſcas contra Mehemmetum, ignes & incendia tibi parantur. Et ſi Chriſtianus eques prætereat *Muſulmannum*, id eſt Turcarum religione initiatum, neceſſum eſt, ut de equo deſcendat, & cernuo uultu ſedentem adoret: quod niſi fit, fuſtibus ab equo deijcitur.

DE SACERDOTVM ET monachorum ſub Turcæ tributo uiuentium conditione.

SAcerdos & monachus peſſima illic conditione ſunt, ut ſacrilegia & ſcandala Dei & hominum exiſtimantur, nihil de Eccleſia accipiunt: Feriatis diebus pauxillulum panis à mulierculis nonnullis porrigitur: cæteris diebus nihil datur. Ipſi lignationibus uiuunt: Nam mos eſt ut ligna in ſyluis cædant, hiſq; dorſum aſelli onerant, ea cum merce per omnes plateas ambulant, ligna uenalia proclamantes.

DE TRIBVTIS CHRISTIANORVM.

QVartas omnium fructuum dant Chriſtiani: & iſtiuſmodi quartatio non ſolum ex prouentibus agrorum & pecorum colligitur, ſed etiam mechanici de ſuo quæſtu quartas dependunt. Deinde eſt & aliud onus capitationis, qua ſinguli quotquot ſunt in una familia, ſingulos ducatos ſoluunt. Si parentes ſoluere nequeunt, ad liberos ſuos in ſeruitutem uendendos compelluntur. Alij in catenis uincti, oſtiatim obambulant ad ſtipem emendicandum, quod ſi ne ita quidem ſoluendo fiunt, perpetuis carceribus mancipantur.

Iam cum omnia officia præſtiterint, adhuc ſemper ius eſt Turcæ optimum quenq; ex liberis deligere, quem circunciſum ſummotumq; à conſpectu parentum in militiam alit, nec unquam ad parentes redit: & primum, quia puer facile Chriſtum obliuione dediſcit, mox etiam parentes & conſanguineos, adeo ut ſi inter eos uerſetur, neminem ſuorum agnoſcat. Nemo uerbis id explicare poteſt: quibus lacrymis, gemitu, ſingultibuſue, iſtiuſmodi diuulſio fiat. Pater filium

filium quem in cultum Chriſti educauerat, rapi,uidet ad militiam Sathanæ, ut Chriſtũ oppugnet : filius abſtrahitur ã parentibus, perpetuō inter ãlieniſſimos uicturus, quicquid charum eſt ſanguine, ſodalitate gratum,familiaritate amicum relicturus : poſtmodum in eorum numero futurus, quos Græci ἀπάτορας & ἀμήτορας uocare ſolent.

Et hi quanquam magnopere â fide Chriſtiana degenerarunt, pleriq; tamen eorum, Euangelium Ioannis pro amuleto certiſſimo ſub axillis portant,uidelicet, In principio erat uerbum &c. Græce aut Arabice ſcriptum totum uſque ad finem, qui ſummopere magnoq; cum deſiderio Chriſtianorum gladium (de quo uates Turcicus loquitur, ut in ſequenti capitulo intelligetur) expectant,ad uindicandum,& liberandum Chriſtianos de Afflictionibus & perſecutionibus eorum. Qui, quod hactenus contra eos non maturauerit, quicunq; ſunt in cauſa & quocunque animo id faciant, peſſimè profecto de Chtiſtiana religione mereri uidentur. Nunc (proh amiſſo fratre Georgio Varadienſi nephas) quam citò amiſimus Temeſuarum ? doleat nunc Hungaria, ploret Tranſyluania,caueant poſthac ſibi Polonia, Lituania,

Lituania,Ruſſia,Pruſſia, Moſchouia, Datia, Dania, Gotia, Noruegia, & Suetia. Idem prædicatur, & de Auſtria, Morauia, Sleſia, Bohemia,Saxonia,Germania, Anglia, Scotia,Hiſpania,& Francia. Nec feliciora ſperet Roma,Venetia cum tota Italia,faxit(precor) Deus, ut hæc fœliciorem,quàm ſuſpicor,finem aſſequantur.

*DIALOGVS SALVTA*TIONVM LINGVÆ SCLAVONICÆ.

SALVTATIO.

Pomozi bogh goſpodaru.
Adiuuet te Deus Patrone.

RESPON.

Dobro doſſao prijateliu.
Bene ueniſti amice.

INTERR.

Ieli ouay praui puth u Kalipolie?
Eſt ne hæc recta uia in Calipolim?

RESPON.

Ni brate zabludioſſi daleko.
Non frater, deuiaſti longè.

INTERR.

Od koieſſi zemlie kazuimi.

Ex qua es regione? indica mihi.

RESPON.

Od Vlaske zemlieſſam od Benetak

Ex Italorum regione ſum, ẽ Venetia.

INTERR.

Vkaſi mi puth praui takoti boga,

Oſtende mi iter rectum propter Deum.

RESPON.

Hodi ſſamnon neboiſſe niſtar.

Veni mecum, nec timeas quicquam.

INTERR.

Ieda koie glaſſe imas Kazuimi.

Si quid noui habes indica mi.

RESPON.

Ne takomi uire da znam prouidalbih ti.

Non ad meam fidem, ſi ſcirem indicarem tibi.

VALEDICTIO ET GRATIARVM ACTIO EORVM.

Oſtai zbogon brate onie grad Kamogres

Mane cum Deo frater, illa eſt ciuitas quo pergis.

RESPON.

Poi zbogom i bogh te zdrauo noßio

I cum Deo & Deus te incolumen ferat.

Hualu

Hualu ti imam i dobrati nots bila
Gratiam tibi habeo & fauſta tibi nox ſit.

DOMINICA ORATIO
SCLAVON. LINGVÆ.

Otſſe naſ i yeſſi na nebeſsi, ſſuctiſſe
Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur
ime tuoie. *Pridi Kralyeuſſtuo,*
nomen tuum. Adueniat regnum tuum,
budi uolia tuoia, Kako na nebu ina
fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo & in
zemlij. *Kruha naſſega ſſagdaniga dai*
terra. Panem noſtrum quotidianum da
namga danaſſ, i odpuſciainam dughe naſſe,
nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra,
Kako i mi odpuſciamo duſuikon naſsijm,
ſicut et nos dimittimus debitorib9 noſtris,
i nepeliai nats u napaſt, da izbaui
& ne nos inducas in tentationem, ſed libera
nats od nepriazni, Amen.
nos à malo, Amen.

SALVTATIO ANGELICA.

Zdrauo Mario miloſti puna, goſpidin ſtobum,
Aue Maria gratia, plena, dominus tecum,
blaſena ti meuſenami, i blaſen
benedicta tu in mulieribus & benedictus
tſad utrobe tuoye Ieſus Kriſtus.
fructus uentris tui Ieſus Chriſtus,

PEREGRINVS

LECTORI. S.

VIſum eſt nobis humaniſſime Lector, nonnulla uocabula Sclauonicę linguę addere, ut ſcias quam differat Sclauonica à Perſarum lingua, qua Turcæ utuntur. Scias etiam, quód omnibus hac lingua peritis tutò adire licet Croatiam, Dalmatiam, Ruſſiam, Valachiam, Seruiam, Bohemiam, & Poloniam, quamuis propter prouinciarum diſtantiam in quibuſdam uocabulis ac prolatione nonnihil differant, ut Itali ab Hiſpanis, Germani à Flandris. Nec te lateat, Ruthenos ac Seruios eadem lingua uti in officijs diuinis. Habent enim 34. literas Græcis non multum diſſimiles. Sic etiam Croatij: ſed horum literæ plurimum ab illis differunt forma, numero tamen & prolatione ſimiles ſunt. Et ideo impoſſibile eſt nobis Latinis characteribus, ipſorum uocabulorum ueram prolationem imitari. Turcæ quoque eadem lingua in aula eorum Regis, & in confinijs Sclauoniæ uerſantes utuntur.

Vale.

*

IOAN-

IOHANNIS VERSOSÆ CÆSARAVGVSTANI TETRASTICHON.

Hinc alacres in bella animos, hinc ſumite uires,
Et gladium in ſæuos ſtringite utrunq; Getas.
Ecce ut prædicunt Turcarum oracula Genti
Ipſa ſuæ, à ueſtris uiribus interitum.

Idem in diſputationem.

Hic præbet proprijs Mahomet ſua pectora telis,
Et qui tam multos ceperat error abit,
Agnoſcunt quidam diuini myſtica uerbi,
Nonnullis Turcis ſpiritus alme placet.
Quos ne deſtituat doctrinæ purior aura,
Quod patrio relegant hic liber ore docet.
Diſcent quęis precibus nec non ratione uocandus
Sit Deus, atq; fide, ſymbola ſancta legent.
Accedunt quædam, quæ ſi cognoſcere curet
Lector, habet paruæ commoda magna moræ.

DE CHRISTIANORVM CLADIBVS ET CALAMITATIBVS: DEinde de ſuæ Sectæ interitu & de Turcarum ad fidem Chriſti conuerſione. Cap. IIII.

Vaticinium Infidelium lingua Turcica.

P*Atiſſahomoz ghelur, Ciaferum menleketi alur, keuzul almai alur,* Kapzeiler, *iedi y ladegh Giaur keleci cſikmaſſe, on ikiyladegh onlarön beghligh eder: cui iapar, baghi diker bahcſai baghlar, oglikezi olur: onichi yldenſora* Hriſtianon Keleci *cſichar, ol* Turchi *ghereßine tus chure.*

SEQVITVR INTERPRETATIO EIVSDEM.

IMperator noſter ueniet, ethnici Principis regnum capiet, rubrum quoq; pomum capiet, in ſuam poteſtatem rediget: quòd ſi ſeptimum uſque annum Chriſtianorum gladius non inſurrexit, uſque ad duodecimum annum eis dominabitur. Domos ædificabit, uineas plantabit, hortos ſepibus munier,

muniet, liberos procreabit,& poſt duodecimum annum (ex quo rubrum pomum in illius poteſtatem redactum fuerit) apparebit Chriſtianorum gladius, qui Turcam quaqua uerſum,in fugam aget.

SEQVITVR COMMEN- TARIVS.

PAtiſſahomoz) eſt nomen dignitatis,compoſitum cum pronomine pluralis numeri, & ſignificat Rex noſter, ſiue Imperator noſter. Solent enim eodem nomine dignitatis Romanum Cæſarem,ſimul & reliquos Reges Chriſtianorum appellare,ut *Vrum patiſſah*, id eſt Romanus Imperator. *Vngruz patiſſah*, id eſt, Hungarus Rex, & *Frenk patiſſah*, id eſt Gallus Rex.

Quare non attribuitur inferioris conditionis magnatibus niſi Imperatoribus & Regibus,*Patiſſah*,plerumq; etiam pro Duce ab eis accipitur,nec abs re, Cum Dux à ducendo ſit dictus : id tamen non debet dubitare, quin ille Vates Turcicus,per iſtud uocabulum *Patiſſah*, aliquem potentiſſimum Tyrannum ad Chriſtianos opprimendos (hoc loco) ſuis ſequacib9 uoluit ſignificare.

Præterea & Rex Perſarum eodem nomine ab ipſis ſolet appellari: ſed ſæpius fit, ut uocetur *Sultan*, quod nomen deſignat Principem, ut *Sabi Sultan Zmail*, quia hic modernus Rex Perſarum Sophi habet proprium nomen *Zmail*, quod ſignificat Iſmahelem.

Habent & aliud nomen dignitatis Regum, *Hunker*, ſed hoc nomine nullum audiui unquam uel ex Chriſtianorum uel infidelium Regibus appellari, præterquam ipſum Suleimanum eorum Regem, qui nunc rerum potitur, quod tamen neſcio an ſignificet Hunnorum dominum. Id enim Germanica propemodum uox indicare uidetur *Hunch heer*, id eſt, Hunorum dominus. *Ghelur*, eſt uerbum futuri temporis quod ſignificat ueniet.

Cſiaſerun, eſt nomen, quod ſignificat gentilem ſiue Ethnicum. Solent enim omnes Chriſtianos hoc nomine appellare, quamuis etiam alia habeant uocabula ad interpellandos Chriſtianos, ut ſunt *Gyaur*, & *Kaur*: ſed *Gyaur*, unum ſignificat hominem, ſi nõn addas *lar* terminationem, quæ appoſita fit pluralis, ut *Gyaur*, ſiue *kaur*, id eſt, Chriſtianus; *Gyaurlar*, ſiue *Kaurlar*, id eſt,

Chriſtiani

Chriſtiani. Sed *Cſiafer*,etiam ſine illa terminatione, quæ plurali attribuitur numero, multitudinem nationum deſignat: ſed quia textus habet *Cſiaferun*, eſtq; genitiui caſus per additionem *un*, ut *Cſiafer*, id eſt, gentilis in nominatiuo. *Cſiaferum*, id eſt, gentilis in genitiuo, quaſi dicerent gentilis Regis, uel gentilium.

Memleket, ſignificat Regnum, quamuis, & alia habeant diuerſa uocabula ad ſignificandum Regnum, ut *Iſtan*: quia cum Italiæ, ſiue Franciȩ, aut etiam Hiſpaniȩ Regnorum mentionem faciunt, tunc dicunt *Frankiſtan*: quod ſignificat tam Italorum, Gallorum, quàm Hiſpanorum regna. *Frank* ſignificat hominem harum regionum,ut *Frank Gyaur*, id eſt,Italus,Gallus, uel Hiſpanus Chriſtianus. Cæterum cum Græciam nominare uolunt,mutant uocabulum,dicentes, *Vrum elli*: id eſt, Græcia, & non *Vrum iſtan*: id eſt, Græcum regnum. Solent interdum & *Vrum memleket*, dicere, & tunc intelligunt totum Imperium Græcorum. In ſumma hoc uocabulum *memleket*, Imperium potius ſignificare uult,quam regnum apud illas Turcarum ac Perſarum nationes.

Alur eſt uerbum, & ſignificat capiet, ſiue accipiet. *iKuzul almi*, eſt nomen, quod ſignificat rubrum pomum, quia *Kuzul*, ſignificat colorem rubrum, & *alma*, pomum, & dicunt eſſe urbem aliquam fortiſſimam & ampliſſimam Imperialem.

Et interdum oritur quæſtio inter doctiores hanc ob cauſam, quia alij uolunt interpretari illud uocabulum urbem Conſtantinopolitanam, eo quod in nonnullis eorum uoluminibus dupliciter legitur, uidelicet, *Kuzulalmai*, & *Vrumpapai*, id eſt, rubrum pomum, per quod nonnulli uolunt intelligere Budam, ſiue Græcum ſacerdotem uel Patriarcham: quia ut iam diximus, *Vrum*, ſignificat Græcum eo quod olim erat ſub Imperio Romano tota Græcia, & eſt corruptum per adiunctionem u literæ in principio, & mutationem o in u, quia huic nomini *Vrum*, ſi demas primum u, & medium mutetur in o, erit Rom. Itaq; multi ſunt huius opinionis, quod ſignificet imperium Conſtãtinopolitanum, nonnulli Romanum.

Kapzeiler, eſt uerbum, & ſignificat opprimere iugo ſeruitutis, & nemo dubitat illorum tyrannicam afflictionem eſſe crude-

lem oppreſſionem, quod facilè probabunt ij,qui eorum captiuitatem & tributi exactionem experti ſunt, quemadmodnm ſunt Græci ,Armenij,Thraces,prout facile potuerunt intelligere, ſi qui legerunt præcedens Capitulum de Afflictione Captiuorum.

Iediyladegh, ſeptimum annum uſq; poſt captionem eius loci ſupra dicti *Gyaur keleci eſichmaſſe*,id eſt,ethnicus,ſiue gentilis gladius ſi non apparuerit, & contra illum non inſurrexerit. Putant hæc fata anni ſeptimi in poteſtate Chriſtianorum eſſe, qui ſi uellent communi opera gladium contra ipſos ſtringere,haud dubie eſſent plena uictoria potiti. Verum quo minus id fiat,noſtram ignauiam in culpa eſſe, dum mutuo inter nos bello ciuili digladiamur ; uel turpi otio conſeneſcimus.

Onychy gyledegh,hoc eſt,uſque ad annum duodecimum. *On larum beghligheder*, id eſt, eorum (uidelicet Ethnicorum) dominabitur. Verum quia neq; poſt ſeptimum, neq; poſt duodecimum annum (capto imperio Conſtantinopolitano) Chriſtianorum contra ipſos gladius præliauit,iam enim fere ad centum annos tota Thracia, & imperium

Orien-

Orientale eſt ſub eorum ditione, auguran-
tur aliam Imperij ſedem ſub nomine rubri pomi ſignificari. Ita certum & definitum temporis ſpatium intelligeretur, cum res extiterit.

Eufi iapar, id eſt, domum ædificabit. Sed miror unde illis id, & quomodo ſint intelligenda hæc uerba. Nam hi non adeo in ædificandis domibus (ut noſtri) ſunt curioſi, ſed ędificatas potius expugnandi curam habent, quod etiam indies eos aſſequi uidemus: non enim exponunt theſauros in ædificia: quæ ad propriam uoluptatem, & priuatam utilitatem ſeu delectationem ſpectant, ſed in publicum commodum potius, & communem utilitatem conſeruant.

Quamobrem per ædificationem domus ſignificari putant, quod templa noſtra, ſuo Mehemmeto ſit dedicaturus: ſed neſcio, an nos iſta indignitate iram diuinam prouocemus, dum alius cum canibus tanquam uenator in templo obambulat, alius de fœnore, alius de ſcorto garriat, alius ad templum nunc urinam, nunc oletum faciat, qualia ne que inter infideles quiſquam uidere poteſt. Credibile eſt profectò, quod propter hanc

irreueren-

irreuerentiam Deus ipſe malit, noſtra templa ſub Mehemmeto, quam ſub nobis eſſe: ſed quod id fiat, eſt culpa templi cuſtodum.

Baghi diker, id eſt, uineam plantabit. Per uineæ plantationem nouas colonias & gentium è ſuis ſedibus emigrationes intelligunt, & ſui Imperij dilatationem.

Bahcſai, id eſt, hortos ſiue illas plantationes uinearum, id eſt, urbes & arces captas.

Baglar, id eſt, emuniet. Subintelligunt nouas prouincias undecunq; muniet, ut recuperatu ſint difficillimæ. Et hoc eſt mirum, quod à tot annis poſtquam incepit ſeuire, ita muniuit: ut ne pagum quidem ab eo recuperare potuerimus.

Oglu bezi olur, id eſt, filium & filiam habebit. Hic per procreationem liberorum interpretantur propagationem Mehemmetanæ gentis: ut manifeſtum eſt omnibus, illam eſſe in tantam propagatam & multiplicatam, ut nihil ſupra. Itaq; iam nihil aliud reſtat, niſi interitus & diminutio fidei & nationis eorum.

On iki yldenſſora, id eſt, poſt duodecimum annum,

annum. *Hriſtianon*,id eſt,Chriſtianus. *Keleci* id eſt,gladius. *Cſicar*, id eſt inſurget ſeu apparebit. Id quoq; apud illos in controuerſia eſt,utrum gladius ille, quo Chriſtianorum natio in libertatem uindicabitur, talionem Mehemmetanis reddet, atq; Rex aliquis Chriſtianus magnis copijs totum imperium Turcarum ſit expugnaturus,an paſtor aliquis Chriſtianus, ſua doctrina Turcas ſit conuerſurus ad noſtram religionem.

Quamobrem (ut dixi) ultima uerba huius oraculi, uiri cum gemitu, pueri cum fletu, mulierculæ cum planctu & eiulatione excipiant. Vtinam tandem Itali ſua pila, Hiſpani ſuas lanceas,Galli ſua geſa , Angli ſuas baliſtas, Germani & Hungari ſuas frameas,contra iſtos canes fidei (ipſis ut ita dicam ſatis damnatos) diſtringere uelint : ſed diſcordia, noſtri temporis eſt, quæ ſolummodo moratur noſtras uictorias, â noſtris rebus. Sed redeamus ad uerba uaticinij de interitu eorum.

Turchi, id eſt, Turcam ipſum hactenus regnantem. *Ghereßime*,id eſt,retrorſum unde egreſſus eſt,adeo ut uel latebras Bithyniç unde primum erupit,uel in Scythiam, unde origi-

originem traxit, ille Chriſtianus gladius.

Tuſchure,id eſt, pellet ſiue profligabit. Cæterum, quia ille gladius uindex neſciatur unde oriturus ſit: Certè Turcæ ſiue aliunde metu concepto non permittunt Chriſtianis ſæuitijs,qui dominos ſuos nunc dentali,nunc ligone,aut ſtipite mactant.

Vtinam Chriſtiani Principes iſtis fatalibus uictorijs ſeſe præpararent,& obſiſterent, ne ulterius uires Mehemmetorum creſcant, quæ iam plus nimio creuerunt: quis dubitaret, quin hic Chriſtianorum gladius (de quo uates Turcicus loquitur) noſtrarum tot calamitatum, perſecutionum & afflictionum futurus ſit uindex, atq; illo Sathanæ regno deſtructo fratres noſtros Chriſtianos grauiſſimo ſeruitutis iugo oppreſſos, ſimul atq; uniuerſum orbem Chriſtianum,tot periculis ſubiectum & obnoxium, in libertatem,pacem, & tranquillitatem aſſerat, reſtituatq; ? Sectaq; eorum diabolica, ad nihilũ redacta, totq; perditas animas, ad Chriſti cultum atq; ouile unumq; paſtorem Chriſtũ, quam facilime (ut in ſequenti capitulo copioſè intelligetur) breui tempore,Euangelicæ prædicationis uirtute, compellendo

redu-

reducat. Quod ut breui nobis conceda-
tur, precetur Pater, per Filium, & Spiritum
ſanctum: qui eſt ſemper benedictus,
glorioſus & laudabilis Deus
in Trinitate, per infinita
ſecula ſeculorum
AMEN.

DISPVTATIONIS *CVM TVRCA HABI-* TÆ NARRATIO

CAP. IIII.

SVMMO labore, nec ſine grauiſſimo periculo uitæ, Orientalium, Occidentalium, Meridionalium, nec non Septentrionalium partium, amœnioribus locis, & potioribus urbibus peragratis, & uiſitatis, hiſq; non ſecus, quam Socratis, atq; Platonis, nec non aliorum Philoſophorum more penetratis, perluſtratis, famoſiſſimam Hungariæ urbem Varadinum dictam quum appuliſſem: in qua eodem tempore caſu fortuito aderat quidam Mehemmetanæ ſectæ legis peritus *Deruis Gſielebi* dictus, qui peractis cum Prælato eiuſdem ciuitatis uidelicet, fratre Georgio ſuis negotijs, ſummopere deſiderabat cum Chriſtianis aliqua, de fide ac religione utraq; conferre.

Hoc igitur cum per aliquot dies per interpretem iam dicti Prælati, Gabor nominatum egiſſet, ut illi Antigoniſta ſubſtitueretur, qui religionem Chriſtianam contra

eum defendere audeat,ſed omnes quotquot in ea religioſi fuerant urbe,ad unius Ethnici uocem muti redditi erant, nec mihi diſſimiles uidebantur Iſraëlitis eſſe, qui ſub Rege Saule uiuentes, ad unius incircunciſi Goliath & quidem ſpurij,μονομαχίαν eos prouocantis,uenire non ſunt auſi. Id ego uidens, turbatus dolebam nimium, in tanto cœtu clericorum reperiri neminem, qui ueritate ipſa armatus, ſaltem per interpretem, inſolentiam Ethnici, reprimere auderet. Et uerebar,ne propter nefandam, & omnibus modis deteſtandam præſertim tali in negocio taciturnitatem,& ignauiam,homini nefario palmam tribuiſſe iudicaremur, ueriſſimamq; cauſam noſtram, & Chriſti ſaluatoris, deteriorem redderemus, perpetuamq; notam ignominiæ Chriſtiano nomini inurentes.

Quamobrem licet ad munus Eccleſiaſticum non ſum uocatus, nihilominus tamen,ſuſcepi prouinciam,de hoc pietatis negotio cum eo me certaturum. Ibi ſtatuto & ā nobis præſcripto die, conuenit magna utriuſq; conditionis hominum frequentia, ſpectatum rei futuræ exitum,hocq; in monaſterium fratrum Diui Franciſci, die Dominica

minica Pentecoſtes, 29. Mai. 1547. & primum hanc propoſuit quæſtionem: ubi Deus ante cœli & terræ initium [aliasq; creaturas uerſaretur.

Mihi autem hæc ſua quæſtio licet non adeo ad propoſitum ſpectare uidebatur, ne tamen nos Dei Opt. Max. ubiq; præſentiæ ignaros, iudicaret, reſpondi: In ſuo eſſe. Sed cum illi uideretur hæc reſponſio utcunque obſcurior, nec eam poſſet ſatis intelligere: poſtea dixi, ibidem, ubi & nunc eſt. Hoc intellecto, negauit hæc in uniuerſum, dixitq;, nequaquam inquit, ſed in nube candida.

Qui cum eum in nube fuiſſe affirmaret citaui Geneſin (nam & ipſi legunt libros Moſæ & Prophetarum) & dixi: Si Deus ipſe ante cœli & terræ creationem in nube erat:. Ergo nubes primum antequam cœlum & terra, creata eſt.

Ibi poſt ultro citroq;, de hac re agitatos ſermones conuictus, noluit de hac re ultra diſputare: igitur ceſſit mihi locus proponendæ quæſtionis: & ob feſtiuitatem eius diei, uiſum fuit de eodem pauca diſſerere: ſtatim depictis his uerbis (ut in figura præ-

cedenti) literis, & ſermone Arabico quomodo in Alcorano ſcripta habentur: poſtea illi legenda porrexi : quorum prolatio eſt eiuſmodi.

MYSTERIVM SANCTÆ

TRINIT. ARABIC.

Biſem Allahe,el Rahmane,el Ruoahim.

Quorum interpretatio hæc.

Bi,id eſt,in : *Sem*,id eſt,nomen,quaſi dicat in nomen.*Allahe*,id eſt,Dei : El *Rahmanne*,id eſt, miſericordiæ : El *Ruoahim*, ſpiritus eorum.

Sciendum, quod lingua Arabica multum habet affinitatis cum Hebraica,& Chaldaica, quæ committo iudicio uirorum cognitionem habentium Hebraici ſermonis, uel etiam utriuſq;, nam *Sem*, & Hebræi dicunt,quod ſignificat nomen,*Allah*, apud Arabes,*Elohi*,apud Hebræos,atq; Chaldæos. *Rahman*, utriuſq; nationis eſt uocabulum, quod ſignificat miſericordiam, ita quoq; & *Ruoah*, ſpiritum ſignificat, & addita *Im*, fit pluralis,nam Hebraica pluralia plerunq; in *Im*, terminantur.

Hæc

Hæc qui cum uidiſſet, admiratus uehementer, unde nam hæc inquit Chriſtianis? nam in omni operis principio utimur, inquit, nos Muſulmani iſtis tribus uerbis, & ſingulis capitulis Alchorani præpoſita habentur. Cum aſſedimus menſæ ut edamus, hæc præmittimus uerba: cum abluimus manus, euntes ad orationem, & cætera membra corporis. Inſuper peracta lotione, ter repetendo hæc tria uerba, aqua aſpergimus capita dicendo, Bi *Sem Allahe*, El *Rahmane*, El *Ruoahim*.

Igitur cum faſſus eſſet ueritatem, quæſiui ab eo, quidnam intelligant per miſericordiam.

Qui reſpondit ſe non intelligere, niſi ſecundum literam, nec habere aliud ſignificatum.

Poſt hæc acceſſi ad myſticam interpretationem uerborum, & ea iuxta genuinam ueritatem, in tres perſonas partitus ſum, uidelicet: Patris, filij, & Spiritus ſancti. Vt autem melius intelligeret, in Arabicum ſermonem uerti hoc modo.

Bi, id eſt, in: *Sem*, id eſt, nomen: *El Ab*, id eſt, Patris: *V*, id eſt, &: *Ben*, id eſt, Filij: *V*, id eſt, &: *Ruoah*, id eſt, Spiritus: *Elchütz*, id eſt, ſancti.

Qui cum filij Dei mentionem me feciſſe intellexiſſet, quæſiuit: unde nam filius eſſet Deo? Cum ſecundum legem noſtram & Mohometi doctrinam, Deus non habeat uxorem, inquit, nec proles. Deinde cœpi interpretari prout intelligebam.

Nos uidelicet, Deum uocare Patrem: propter creaturas, primam nempe cauſam creantem, & omnia conſeruantem: qui ſemper in eadem Eſſentia fuit, in qua & nunc eſt, & erit in ſecula ſeculorum: qui eſt prima perſona diuinitatis in Trinitate,

Filium uerò (qui à Mehemmeto in Arabicum uocabulum uidelicet, R*ahman*, quod miſericordiam ſignificat, eſt mutatus) Deum habere ita credimus: & non ſecundum concupiſcentiam carnis (cum Deus ſit ſpiritus) ex fœmina natum: ſed ex eſſentia ac ſubſtantia Patris genitum, qui ut peccata noſtra tolleret, aſſumpta carne humana ex immaculata uirgine, pro nobis paſſus, mortuus, atq; ſepultus: & iuxta dicta prophetarum, tertia die à mortuis ſurrexit: poſthęc aſcendit ad cœlos & ſedet ad dexteram Dei patris: inde uenturus eſt uiuos & mortuus iudicare: & tunc dabit immortalitatis beatitudinem his, qui in eum credunt: incredulis

uerò

uero ſupplicia æterna.

Poſtea oſtendi illi imaginem crucifixi: uide inquam ſi immerito,& à Mehemmeto, hic filius æterni Dei,dictus ſit miſericordia? dum expanſis brachijs uocat ut amplectatur nos dicens;

Venite ad me omnes qui laboratis, & eſtis onerati peccatis,ut reficiam uos.

Et ut eum de Myſterio Trinitatis redderem certiorem, oſtendi ſolem. Habes pulchram ſolis ſimilitudinem, inquam. Sicut unus eſt ſol habens formam, calorem, & ſplendorem: ſic unus eſt Deus, & pater qui habet filium,&ſpiritum ſanctum,quem uos *Ruoahim* uocatis,conſiſtens in his tribus perſonis, quæ ex æquo de eadem ſubſtantia ſunt, deq; eodem ſubiecto, ab æterno quidem nullo creante permanentes.

Et ita per comparationem hanc, credidit in Deum patrem, & filium eius unigenitum, & ſpiritum ſanctũ in Trinitate unum.

Et cum audiſſet me,hæc ita, ut ſatis indocte de Deo,& eius filio, &ſpiritu ſancto diſſerere, plurimum admiratus dixit. *Allah, Allah*: quod ſignificat Deus, Deus.

Ego inquit uel aliquis noſtrum, nunq;

credidiſſemus uos ita bene de de Deo ſentire: exiſtimabamus enim uos, inquit, in maximis tenebris conſtitutos: ſed iam ex tuis relatis intelligo, uos optime de illo ſentire: niſi quod Mehemmetum prophetam Dei magnum, parui faciatis.

Quid nobis cum Mahometi nugis, & ſomnijs? nam præter baptiſmum & miniſterium Trinitatis, quæ à nobis accepit Chriſtianis, ſcimus in ſuo Alcorano non habere quicquam quod ad ueritatē ſpectet.

Cæterum, citaui illi nugas uel ſomnia potius Machometi de duobus Angelis, *Aroth*, & *Maroth* nominatis: quos Machomet à Deo in terram miſſos fuiſſe narrat, ut ius mortalibus adminiſtrarent: quibus iuſſit ne uinum biberent, nec mulieribus ſeſe admiſcerent, neq; alicui ad ſuperos iter oſtenderent. Qui tranſgreſſo mandato diuino, inebriati ſunt, à muliere decepti, coinquinati ſunt, eiq; iter ad ſuperos eundi oſtendarent.

Quam cum Deus in cœlum uenire uidiſſet: Angelos ſibi aſtantes interrogauit: quiſnam hic in cœlum hac forma indutus ueniret.

Ibi Angeli, cum narraſſent errorem eſſe

Arothi

Arothi & *Marothi*,iuſſit, ut mulier in ſtellam conuerteretur, Angelos uero concatenatos in unum puteum, perpetuò cruciandos emittere præcepit.

Et huiuſmodi ridiculoſa multa: ut de animali *El Barahil*,humani ſermonis capacis, quod animal Mehemmetum in cœlum tulit, ubi Mehemmet fatetur ſe uidiſſe Angelos magnos,habētes multa capita,&ea multas & diuerſas linguas habere. Hoc profecto ſatis ridiculoſum,& prophetam dictu minimē dignum, ſed neſcio inquam: forſitan uino repletus in ſomnio talia miracula, ſeu potius portenta ridiculoſa, ſe ſomniaſſe uidit. Igitur cum huiuſcemodi nugas narrare, & ſuo Alcorano inſerere eſt auſus: non uerus propheta,ſed pſeudopropheta, merito ab omnibus nobis uocari debet.

Quibus auditis, pudore affectus ſurrexit,&de cætero diſputare noluit: ſed intro duxit me in templum, oſtendit imagines ſculptas in ligno: rogauitq; utrum nos eas ſimilitudines hominum adoramus, aut eas ueneramur, cui reſpondi: Nequaq; opineris nos ligna, lapides, ex quibus hæ imagines ſculptæ ſunt adorare: ſed ea ratione in templo ſeruamus, non quo res quæ-

dam ſunt, ſed ideo ut nobis Chriſtum Deum, D. Virginem, uel aliquem ex diuis effigiant, ob oculos ponimus.. Chriſtum autem uerum Deum adoramus & cæteros ſanctos uenaramur, obſeruamus, honore proſequimur, quod & uos nec regibns, aut inſignibus uiris denegatis, nos autem iam Deo conſecratis, nulla labe commaculatis (quia ſcriptum eſt: Beati mortui qui in domino moriuntur) hisq; quos & Deus ſic uoluit honorari.

Rurſus ut Deo gratias agamus de beneficijs, quæ in iſtis intelligimus ab eius clementia condonatis. Poſtremo ut diſcamus, & laboremus eorundem ſanctimoniam, charitatem, pietatemq; imitari.

Ibi inter colloquendum, uidit canes in templo deambulare & indumenta altarium commaculare (rem profecto peſſimam, & conſuetudinem hanc, ab omnibus uitupe-randam) dixit:

An beſtias templum ingredi liceat? Ibi pudore affectus, ignorabam quomodo defenderem hanc Chriſtianorum paſtorum negligentiam, reſpondi tamen, non licere, nec eſſe honeſta, ſed cuſtodum templi negligentia id factum puta.

Vbi autem hæc intellexiſſet, laudauit plurimum: rogauitq; ut docerem eum orationẽ dominicam, quam illi in Turcicum ſermonem uerſam hoc modo ſum interpretatus: ut ſequitur.

DOMINICA ORATIO LINGVA TVRCICA.

Babamoz hanghe gugteſſon chuduſſ
Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur
olſſun ſſenungh, adur gelſſon ſſenung memlechtun,
nomen tuum, adueniat regnum tuum
olſſum ſſenung tſſtedgunh nycſe gugthe ulc gyrde.
fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra.
Echamegumozi bergunon uere bize
Panem noſtrum quotidianum da nobis
bu gun, hem baſſa bize borsligomozi, nycſe
hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut
bizde baslaruz borſetigleremozi.
& nos dimittimus debitoribus noſtris.
hem yedma byzegebeneme, de churtule
Et ne nos inducas in tentationem, ſed
bizy iaramazdan, Amen.
libera nos ã malo, Amen.

His, auditis ualedicto omnibus diſceſſit.

CORNE. SCRIB.
PIO LECT.

Vultis Chriſtiadæ miſerandos cernere caſus?
Fœdaſq́; ærumnas, horrificaſq́; cruces?
Quantaq; ſub rabidis (res uera) afflictio Turcis
Captiuos maneat, heu mihi, Chriſtiadas.
Hunc legitote auidi: rurſum hunc legitote libellũ,
Et motu mentis uoluite cuncta pio.
Diſpeream niſi tum lacrimæ, gemituſq́;, grauiſq́;
Corde dolor, uobis uiſcera quaſſa premant.

*

HABES iam Chriſtianiſſime Lector, fratrum noſtrorum ſub Turcico iugo ſeruitutis uiuentium miſerias & calamitates, uerbis ſatis compendioſe delineatas. Habes præterea : & Tredecim potentiſſimorum Chriſtiani Imperij Monacharum gladium noſtræ cladis uindicem futurum, eumq; duplicem iuxta infidelium uatis prę ſagia : qui ſi contra hunc crudeliſſimum tyrannum iam fato dam natum ſtringatur, quis dubitat breui unum ouile unumq; Paſtorem futurum?

DEPLO-

DEPLORATIO *CLADIS CHRISTI-* ANORVM CAPVT. V.

IMMENSO ET INCRE-
dibili dolore affectus, Monar-
chæ inuictiſſimi Rectoreſque
Reipublicæ Chriſtianæ Au-
guſtiſſimi, pro fratribus no-
ſtris, eorum ſortem duriſſimam dolendo, &
miſerrimam uitam deplorando : quorum
alij hæretica prauitate ſeducti, ā gremio ſa-
croſanctæ Eccleſiæ defecerunt: alij ciuili en-
ſe mactantur alij hoſtili cruento gladio tru-
cidati, ā feris deuorantur : alij (proh dolor)
Turcarum præda facti, in perpetuam eo-
rum ſeruitutem abducti, crudeliſſime af-
fliguntur : qui ad uos lacrymabili uoce ſu-
ſpirando clamitant.

O nefanda & execranda diſcordia, & re-
gnandi auida cupido : quot iam animas ad
cultum diuinum conſecratas, in obſequium
Sathanæ tradidit? quotq; potentiſſimorum
Imperatorum, Regum, Principum, & utri-
uſque ſtatus & conditionis fortiſſimorum
Heroum, imperia & regna deſtruxit? Su-

perbiſſi-

perbiſſimarum urbium mœnia demolitus eſt: ſumptuoſiſſima palatia, & fortiſſima caſtra ſolo æquauit, eosq; ex eminentiſſimo ſtatu ac gradu deiectos in perpetuum luctum ablegauit.

Licet tamen, non ad conſcribenda Principum geſta, ſed ad captiuorum calamitates, & tragœdias delineandas, manum appoſuerim, unius tamen noſtræ tempeſtatis potentiſſimi ac ſuperbiſſimi huius abominandæ Diſcordiæ comitis, uidelicet Seruiæ Deſpoti, turpiſſimum exemplum non poſſum ſilentio præterire: qui pacto fœdere cum Boſnenſi Sangiaco, hoſte ſibi uicino, & cum fortiora caſtra in confinibus Turcarum, uſq; ad Sauum fluuium (qui diuidit ac ſeparat Illyriam à Croatia) poſſideret, & tunc omnes prouincias inter Sauum & Drauum fluuios, ab impetu & incurſu Turcico defenderet & tueretur, in manus hoſtis ſe dedit.

Iſte Deſpotis, aut ſi mauis, dominus Seruiæ, dum ueniret cum proceribus Sclauoniæ in diſcordiam, & controuerſiam, facta amicitia cum dicto Sangiaco, ibi adiuncto Turcico exercitu ſuo militi, traiectoq; Sauo fluuio

fluuio ad uadum Chobaz dictum : Sclauonos proceres, partim diſcordes, partim etiam ad reſiſtendum impotentes inuaſit, & profligauit : eorum prouincias debellauit : igne & ferro deuaſtauit: oppida, & caſtella, partim uiolenti manu, partim dolo & inſidijs (ut Turcarum eſt mos) paucis diebus expugnauit. Poſt paucos tandem menſes, cum dictus Sangiacas Deſpotis prouincias inter ſuas eſſe conſpexiſſet, nacta occaſione, Deſpoten ſtrenue inuaſit : quo tandem occiſo, eius quoq; ditiones Turcico imperio ſubegit.

Ita enim ille ſeditioſus atheos, proditor patriæ & fratrum ſuorum ignominioſe uitam finiuit. Nam Turcæ præmia eiuſmodi ſunt : quoſcunq; ſuis dolis, fraudibus & inſidijs capere poteſt. Ita pleriſq; & Hungariæ proceribus fecit : quorum nonnulli nunc in captiuitate Turcica detenti, ut *Mailat*, & *Terech Balint* (niſi proximis his diebus ſunt extincti) miſerrimam traducunt uitam.

Quamobrem euitanda nobis profecto Monarchæ Chriſtianiſſimi, & ſummopere cauenda huius tyranni ſæuitia: & uerendum,

ne exploratis regionibus, inconcordes, uiribuſq; exhauſtos aggrediatur: & non tantum Siculos ac Calabros oppugnet, uerum etiam Gallis ſublatis, uniuerſæ Chriſtianitati terrorem incutiat atq; tremorem.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum,
Nam Res ueſtra agitur paries cùm proximus ardet

Malus Chriſtiadas furor fatigat
Principes: proprijs perire quærunt
Inſani gladijs, neq; ante finem
Bellis ſæuitiæq; ponere ullum,
Quàm diſcordia, peßimiq; fati
Inteſtina lues, lupo rapaci
Paſtorem ſimul atq; ouile tradat.
Nónne ter ſuperum inferumq; uidit
Graſſantes mare Turcicas triremes,
Vaſtare oppida Chriſtiana, pagos,
Captos ruricolas? ſcelus nefaſq;,
Si qui debuerant genus tueri
Velis Chriſticolum atq; equisq;, procurant
Velis perdere nos equisq; tandem
Quæ ſint proſpiciant futura nobis.

Ego uero ne prolixior in hoc dicendi genere uidear: ueſtro prudentiſſimo ac ſapientiſſimo Religionis Chriſtianæ Principum iudicio corrigenda & emendanda relinquens, ad deplorandas fratrum noſtrorum ſed captiuorum, & ſub Turcarum gra-

uiſſimo,ac crudeliſſimo tributi iugo uiuentium Chriſtianorum miſerias,afflictiones& calamitates redeo: quorum alij catena collo uincti per aſpera & lubrica Thraciæ atq; minoris Aſiæ loca, nudis pedibus, in fame ac ſiti,tanquam bruta animalia uenales diſtrahuntur, & ubi labore longi itineris, uel alijs calamitatibus & anguſtijs afflicti, aliqui eorum extincti fuerint (ut plerunq; accidit nobilioribus & quo in otio, & delitijs ſunt educati) tales in proximam foſſam abiecti,& inhumati, â beſtijs dilaniantur.

Alij, ut puta utriuſq; ſexus iuuentus, mangonum & laniſtarum impuram libidinem patiuntur: ubi auditur ingens ploratus & ululatus adoleſcentium uim patientium: quos miſerrimos,nec ſexennis ætas, â tali fœditate defendere poteſt.

Alij uidelicet ruſticæ atq; mechanicę artis ignari,& minus uendibiles literati,oppidatim ac plateatim lōgo tempore ducuntur: &cum uenditi fuerint,fuſtibus ac loris compulſi,artes mechanicas & ruſticas, uidelicet, agriculturam, armentorum, & ouium paſturam, aliaq; grauiſſima exercitia diſcere coguntur. Et qui eorum ſunt robuſtiores,

hi

hi ad triremes traduntur : ubi ueſtibus exuti,compedibus uincti, nudi, miſerrime cruciantur : quorum miſerias,nulla uis humani ingenij uerbis exprimere poteſt.

Nam ſi illa gens hanc calamitatem præſciuiſſet,millies mori citius præoptaſſet quã iſta pati. Si uſquam mors cum uita commixta eſt, imõ ſi uſquam uita diu ſupereſt, ut diu moriaris,id in Turcia eſt. Nihil Aegyptiaca ſeruitus, Babylonicum exilium Aſſyriaca captiuitas,Romanorum euaſtatio ad has miſerias : ubi quotidie audiuntur threni Ieremiæ,nec uerbis ſed rebus cõſtant.

Miſeri, qui quaſi in fornace illa ardenti Hur Chaldæorum uiuunt uotis & gemitibus cœlum petunt,uſquequoq; dormis Domine,exurge, & ne repellas in finem : ubi cum omni ſpe ſe undiq; oppreſſos atq; aggrauatos ſentiunt, rurſus à cœlo ad patriam oculos reiectant, quam & ipſam in ſeruitute uident : relegati tamen à pátria, in pátria ſeruitutem agere cupiunt : uota illorum; non libertatem ſed eandem ſeruitutem, mutatis tantum ſedibus concipiunt.

Qui ut uota ſatisfaciant, uitam ſuam morte commutare cupientes,fugam ineunt; quorum alij relicto grege in deſerto,alij bo-

bus in agro & aratro ad deuorandum lupis, abeunt.

Nonnulli mactatis hero & familia, quidam etiam ſuccenſis ædibus primum, ſeſe uindicare uolentes, magno ac manifeſto periculo ſeſe expoſitos, per deſerta atq; aſperrima loca, glandibus, herbis agreſtibus, & earum radicibus amaris, ſale modico conditis eorum miſerrimam, & pluſquam infœlicem uitam ſuſtentando fugiunt, diurnis temporibus in antris latitantes: nocturnis autem polo arctico duce ad Helleſponticum mare concurrunt, aut etiam ſi locus fugæ non datur in ſummitate arborum: propter fœrociſſimas feras, fune ramis alligati uigilant: quorum pleriq;, aut fame pereunt, aut ferarum dentibus dilacerantur, uel etiam antequam ad mare traijciendum perueniunt ab opilionibus capti rurſum in captiuitatem traduntur.

Alij uero dum ad mare magno labore & poſt longos, diurnos & nocturnos errores perueniunt, colligatis lignis mare traijcere contendunt: aut à tranſeuntibus nautis capti, ad *Chadiam*, id eſt, iudicem deducuntur: aut tempeſtate maris obruti intereunt, & rariſſimi ad has partes redeunt, & rariſſimi

ad

ad has partes redeunt. Quorum pars ubi ad eorum heros & propinquos traditur, diriſſimis ſupplicijs atq; tormentis dum affliguntur, ad uos Monarchas Reges Principes, & Chriſtianæ reipublicæ rectores miſerabilem uocem conuertere ſolent.

Optant enim omnes omnium ordinum homines, uires ſuas ad liberationem eorum conuertere: & filijs ſuis coadunatis, in unitatem & concordiam redactis, ad communem hoſtem opprimendum eos adhortari.

Inprimis optant Auguſtiſſimum, & inuictiſſimum ſacri Imperij Romani Cæſarem, ac uniuerſos eius Principes Duces, & Heroas, poſthabito domeſtico bello, conuocatis ſuis proceribus, Electoribus ac primatibus ſui Imperij, ad defendendum, & ad augendum ſtatum ſuum, contra uicinum, & iam imminentem ſibi hoſtem uictricia arma mouere. Sciunt illi parere Hiſpanos in bello acerrimos: Belgas fœrociſſimos: Italos corpore, & ingenio præſtantiſſimos: Germanos animoſiſſimos. Sciunt illi addictiſſimum Regem Romanorum, Turcarum bellis aſſuetiſſimum, Illyricis, & ſubalpinis gentibus ſubnixum.

Optant etiam Chriſtianiſſimum Regem Gallorum, Eulogij ſui conuenientia, ſuas opes, & arma ſua bellicoſiſſima, ad defenſionem & liberationem fratrum ſuorum apparare.

Optant præterea fortiſſimos ac potentiſſimos Reges atq; Monarchas, nec non uniuerſos Chriſtianiſſimæ reipublicæ rectores ac potentatus, Poloniæ, Noruegiæ, Sueciæ, Daniæ, Gotiæ, Datiæ, Angliæ, Scotiæ, Luſitaniæ, ad id ſanctiſſimum bellum uenire; & contra hunc immortalem hoſtem eorum ſanctiſſimæ fidei, Sacræ Coronæ & Imperij, libertatis, parentum, uxorum, filiorum & filiarum, fratrum, amicorum, totiuſque Chriſtianitatis incolarum, perpetuum inimicum & aduerſarium, omnibus opibus & uiribus unanimes pugnare, ipſumq; e medio tolere.

Optant poteſtatem quoq;, tam ſpiritualis, quam etiam temporalis gladij ſeu diſciplinæ autoritatem habentem, dignum quẽque ſui officij uillicum & adminiſtratorem ſeſe præbere: ſceleratos, & diſſolutè uiuentes, pro quibus ira diuina in filios perditionis breui eſt uentura, iuxta debitam, & inſtitutam normam ac regulam, ad bene be-

atecq;

ateq; uiuendum caſtigando reuocare: quorum rationem Deo, & uero patrifamilias Chriſto, ſe daturos fatentur, ne amiſſo uillicationis ſuæ officio, in eandem paupertatem (ut iam pleriſq; euenit) inopinati & dormientes incidant.

Optant etiam utriuſq; ſexus & conditionis Senes & iuuenes, pios ac Deo deuotos Chriſticolas, religioſos ac ſeculares, dilectiſſimos parentes, chariſſimos fratres, colendiſſimos amicos, proximos atq; ſodales, humili uultu, puro ac ſincero corde, deuota mente, flebili uoce, lacrymoſis oculis, eorum miſerijs & calamitatibus condolere: plorare ad Dominum, ſi forſitan miſerebitur populi ſui & auertat iram ſuam, & non det eos in opprobrium ſempiternum, huic tyranno infideli, & crudeliſſimo hoſti fidei religionis, ac libertatis Chriſtianæ, ſed inſpiratis mentibus Chriſtiani Imperij Monarcharum, Regum atq; Rectorum, lumine Spiritus ſancti, uſq; ad concordiam & unitatem reductis, contra hunc uoraciſſimum & inſatiabilem draconem conceſſa uictoria, miſeri, captiui, & ſæuiſſimo infidelium tributi iugo grauati, fratres eorum Chriſtiani liberati, in patriam ad Chriſti cultum reducti, illi ſoli ſeruiant, qui eſt benedictus in ſecula.

Vt tandem deuictis & profligatis hoſtibus, Chriſtianus orbis ā tot perpetuis cladibus reſpiret.

EXHORTATIO
CONTRA TVRCAS
CAP. VI.

SÆPE mecum admiratus ſum Monarcha inuictiſſime, cur, quum omnia uideantur nobis Chriſtianis polliceri uictoriam, nunquam tamen eam inter tot annos conſequamur.

Habemus Chriſtum Deum, qui unica nocte caſtra Sennacherib deleuit: qui Pharaonem ſubmerſit: qui fœminæ manu Iudith puellæ Holophernem extinxit, & ut breuiter dicam, ā cuius numine uoluntateq́ omnes uictoriæ pendent.

Turcæ contrā Machometum habent, & in uita flagitioſum, poſt uitam ſepulchro ſine reſurrectione perpetuó inhærentem, ut tantum inter utrunq́ nomine interſit, quantum inter uiuum uiui Dei filium, & inter

hominis, & ab homine nati cadauer putridum, adeo ut in cladibus Chriſtianorum, ſi natura utriuſq; numinis expendatur, mortui uideantur uiuos, armis potentiaq; ſuperare.

Iam cum robore corporum, dotibuſq; animi eos præcellamus, quæ magna præſidia, uidentur ad hoſtes profligandos, ipſi ubiq; miſerrime profligamur. Quid Hungaro audacius? quid Germano uaſtius? quid Gallo procerius? Hiſpano ſolidius? quid Italo ſapientius? aut Polono robuſtius? ut de cæteris nationibus taceam, quorum dotes animi aut meliores aut certè æquales.

Rurſum ſi indolem animi ſpectes, quid Hungaro uulnerum periculorumq; ſecurius? quid Germano generoſius? Italo prudentius? Gallo ambitioſius? Hiſpano callidius? quorum ſingula uidenter poſſe, uel dare uictoriam, uel adiuuare. Sæpe uicit ſine alijs uiribus audacia, ſæpe generoſitas animi, ſæpe ſapientia, ſæpe honoris illa auida ambitio, ſæpe calliditas: tamen, me miſerum inter tot uictrices res, à uictoria excidimus.

Iam ſi apparatum uideas, armorumq; genera, multis rationibus Turcis præſtantiores

ores uidemur. Noſtra inuenta ſunt Bombardæ, noſtra tot genera panopliæ armaturæ: ipſi Perſi nudi, aut ſeminudi ad bella prodeunt, illis arcus, nobis *slopetæ*, id eſt, nobis fulmina: illis ſagittæ, quæ per dura armorum nullam uim penetrandi habent, cum bombardis ſeu machinis Chriſtianorum uix ulla rupes obſtiterit. Sunt equidem & *Muſulmannis* ſui bombardarij, ſed rariores & indoctiores. Nunc quæſo quas gentes ſecum in expeditionem trahant? Scythas & Thraces: in quibus non ſapientia Italica, aut induſtria Hiſpanica, ſed inhumana quædam feritas, barbaries, animi ſumma inſcitia, indocta, ſtolida. Iſtis ſe addit Græcus ignauia perditus: Aſiaticus, luxu corruptiſſimus: Aegyptius, non minus animo quàm corpore euiratus: Arabs, excoctus, minutus & exanguis. Quis à tali milite crederet Gallos bellicoſſimos, Belgas fœrociſſimos, Germanos animoſiſſimos, Hungaros audaciſſimos, Italorum ingenia, Hiſpanorum ſolerciam uinci poſſe? attamen (proh dolor) uincimur: & uincimur ab his, qui in ſeruitutem ducunt: & ſerui pro ſeruitute bella gerunt contra nos: qui libertate geniti, à proauis, & atauis nobis indelibata relicta ſumus.

Quòd

Quōd ſi inſtituta & leges utriuſq; nationis iuſpicias, neq;, hac in parte inferiores ſumus. Quid enim Euangelio diuinius? quid iure ciuili ſapientius, aut æquius? cum illi ex Alchorano uiuant, re non minus ſtulta quam uana & contumelioſa in Deum: qui liber nunc inter Chriſtianos uerſatur & circumfertur, ut mature alienas leges diſcamus, qui breui noſtras amiſſuri uidemur, ut antea animo quam dictione Turcæ ſimus. Quid igitur in cauſa eſt, cur inter tot prærogatiuas ballandi, in bello ſemper deuincamur? Cur uexilla crucibus inſignita, olim terribilia, non minus infidelibus nationibus, quam infernalibus ſpiritibus, nunc toties in fugam ſe auertant?

Dicam paucis, & dicam uere. Deum habemus & ſummum & uerum: ſed à nobis alienatum, adeō ut prophetico uocabulo ferme, appellari poſſumus non populus Dei. Cur enim Chriſtus nobiſcum eſſet: qui à nobis per tot hæreſes, in tot partes dilaniantur? nam præter nomen, quid nobis Chriſtianis chariſſimi eſt? Ruſticus hoc tempore & impurus & factioſus: oppidanus, fallax, & auarus: magiſtratus ſequuntur retributiones, diligunt munera & proſopolepſiam:

pſiam: nobilitas luxum & ignauiam, diſcordiam atq; ſuperbiam: miles uero præter ſtipendium & prædam nihil ex bello quærit,ſecurus quo ſceptra cadant, non minus infeſtus in ſuos qnam in hoſtes. Eccleſiaſtici præter pompam Eccleſiaſticam, uix quicquam Eccleſię habent,non ſanctitatem, non pietatem, non eruditionem debitam profitentur. Nam fere omnes quærere uiderentur quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti: & uerē prophetæ ore dicere poſſumus: Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum. Quid igitur mirum ſi talibus moribus Chriſtus amicus eſſe nolit?

Bellamus igitur ſine Deo, & (quod calamitoſius) aduerſario Deo. Apud nos circunferuntur cruces, ſed ipſe Crucifixus ſuo fauore apud hoſtes uerſatur. Pereunt igitur omnia, & infinitis cladibus inuoluuntur: & cum una gens contra Turcam pugnat, alia uero,uel in domeſticis uerſatur bellis,aduocatis & adiunctis ſibi in auxilium infidelibus Paganis, uel Sciſmatis, uel Hæreticis ut acriũs oppugnet Chriſtum: alia uero,uel priuata curat negotia, uel etiam in ocio agit, crapulæ, & alijs uoluptatibus

bus indulgens. Miles uero qui in aciem deducitur, nummo inſeruit non Chriſto : ſi deſit ſtipendium , ſtatim uel deſertor uel transfuga futurus.

Quid igitur prodeſt ibi Italica ſapientia, aut induſtria Hiſpanica, aut robur Germanorum, aut ferocitas Gallica, uel audacia Hungarica, ubi miles nec Chriſtum nec gloriam cogitat, ſed ad bellum uenit tanquam ad ganeum, ibi potationes ſuas exerciturus?

Bonas leges habemus, ſed peſſimos mores : bona arma, ſed preſſimos animos: laus eſt ſi inter ſe acriter dimicent, in hoſtem ſi non acriter pugnent, uel dedecus non eſt, uel certe impunitum eſt.

Quando quis unquam audiuit militem, uel ob fugam, uel ob abiecta arma mulctatum fuiſſe? cum olim pœnæ capitales & decimationes non ſingulos, ſed uniuerſas legiones peruaſerint

Trahimus igitur exiguum numerum, eumq; moribus corruptum, contra tot myriades hoſtium, optima diſciplina utentium. Nam Turca uitia ſua domi deponit, Chri-

ſtianus

ſtianus aſſumit: in caſtris Turcarum nullæ delitiæ, arma tantummodo & neceſſarius uictus: in caſtris uero Chriſtianorum luxus,& omnis luxuriæ commeatus, adeſt grauior turba meretricum quam uiuorum. Latrocinatur Hungarus: prædatur Hiſpanus: potat Germanus: ſtertit Bohemus, oſcitat Polonus: libidinatur Italus: Gallus cantat: Anglus lurcatur. Schotus helluatur: militem qui moribus miles ſit, uix ullum reperias.

Quid igitur mirum, ſi uincant illi apud quos ſobrietas,parſimonia, uigilantia, fidelitas & ſumma obedientia? Vincantur illi, qui ab hoſtibus uel uagi ad prædas, uel inter pocula,aut apud meretricem aliaſue abominandas,& execrandas nequitias inueniantur.

Sed hæc culpa eſt ſuperiorum:nam hi, ſi ſubditos in ſuos timore tẽerent, miles Chriſtianus nunquam inferior fieret Turcico. Altera ex parte,principes ipſi, dum mutuis bellis ſeſe conficiunt cauſam præſtant, ut nunquam pares uires contra Turcas afferamus, dum pro uno & altero oppidulo digladiamur, & poſt acerrimas præliorum conflictationes:

ctationes: poſt exhauſtas opes nihilo Imperio & regno, auctiores efficimur.

Heu quantum terræ potuit, pelagiq; parari
Hoc, quem ciuiles hauſerunt ſanguine dextræ.

Sed ſeræ ſunt, queremoniæ. Amiſimus Aſiam atq; Africam: extincta eſt Græcia: Aegrota eſt uſq; ad mortem Hungaria. Occupata eſt iam noſtro tempore Illyria, ſubiecta eſt nuperrime Turcico Imperio Sclauonia, debilitata eſt Auſtria, uis peſtis huius iam Germanorum ceruicibus, atq; uniuerſę Chriſtianitatis dorſo incumbit: adeō, ut nemo ab hoc periculo tutus eſſe uideatur, qui poſthac non alienam, ſed ſuam rem agent, pro ſuis limitibus, uelint pro principibus ſerui fieri, & pro liberis mancipia, aut in perpetuis carceribus detineri, ſeu potius mactari, ut plebei capite, & duce careant.

Nunc ſi potentiſſimi Chriſtiani orbis Monarchæ & rectores ad concordiam (ut ſperamus) reducantur, & quiſq; ſuas opes, ad hoc ſanctiſſimum, atq; œcumenicum ſeu generale bellum iuxta uires contulerit, quis dubitabit nos, uel numero exercitatiſſimi, ac robuſtiſſimi militis Turcæ æquales, uel

etiam ſuperiores fore, in uictoria uerò longe lateque excellentiores futuros?

Nam Romanorum Imperium facilè armabit quinquaginta millia equitum & centum mille peditum: idem, uel aliquanto plus ex Gallia & Hiſpania ſperandum. Reliquiæ Hungariæ, & Illyriæ, cum cæteris Romanorum Regis Prouincijs facile ſexaginta millia equitum producent.

SVMMA CHRISTIANI MILITIS.

Centum ſexaginta millia equitum. Ducenta millia peditum. Præterea ubi Veneti & Luſitani nauales ſuas copias conferant, Angli, Scoti, Dani, Daci, Gothi, Poloni, cæterique Reges, Principes, Duces, & Chriſtiani orbis proceres & rectores militem ſubminiſtrent, præſertim tali Chriſtianiſſimo Cæſare rerum gubernacula tenente, non diutius obſiſtet Turca Chriſtiano, quam Darius Alexandro: Xerxes Themiſtocli: Antiochus Iudæ Machabæo. Vbi autem uictoria potiti fuerimus, hiſce uiribus ſecundo flumine Danubio, Conſtantinopolim uerſus deſcendatur, placato numine, corre-

rectis etiam moribus, in procliui erit uincere hoſtes fidei,recuperare Græciam &Thraciam,ubi adhuc maior pars hominum Chriſtum colit: qui auidiſſimis uotis expetunt Chriſtiana arma,ad quamlibet occaſionem defecturi, & ſuos dominos & tyrannos, à quibus miſerrime uexantur, oppugnaturi, quæ res ſola uictoriam dare,uel maturare poteſt.

Vtinam Monarchæ potentiſſimi domeſtica bella uos illic ſinerent penetrare: uideritis omnia uobiſcum contra eos ad arma cooriri. Nulla ætas, nullus ſexus, nullus ordo hominum ueſtra arma relinqueret. Domi quiſq; Turcarum in ſuis ſeruis percuſſorem haberet,in caſtris Proditorem, in pugna deſertorem. Omnino Chriſtiani qui illic ſunt,contemptiſſime de armis Turcarum ſentiunt, ut quos ad uelitarem tantum pugnam idoneos cognoſcunt, hoſtes uelut aues clamore quodam perterrent, ſi non eo terroris impetu fuga fit,ipſi fugiunt: præter clypeos & galeas nihil habent, plerique nudi ſunt.

Et ubi iſti Chriſtianæ fidei perpetui hoſtes ē medio noſtri tollerentur, & ad latebras Bithyniæ propulſi, noſtro gladio (ut eorum fatentur præſagia) uel ad fidem

L Chriſti

Chriſti conuerſi, in gremium Sacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ reducerentur, quis dubitaret, quin breui ſit futurum, ut Chriſtianus Imperator, non minus Conſtantinopolitano quam Romano Imperio inſignis ſit futurus? Rex Romanorum, Hungariam & Thraciam recuperaturus? Rex Franciæ Aſiam minorem ſuis ditionibus additurus? Angli Schoti & Luſitani, Aegypto potituri? Hiſpani tota Africa? Itali omnia littora quæcunque habet mare Mediterraneum in ſua poteſtate habituri, item etiam Poloni, Dani, Daci, Noruegi, Sueci, Gothi quoque & Islandi Septentrionalis plagæ, ditiſſimarum regionũ & nationum populo dominaturi.

Ita ſentiunt non ſolum captiui & ſub tributo Turcarum uiuentes Chriſtiani: uerum etiam omnes Turcarum militis & bellicæ experientiam & cognitionem habentes Idem ego tredecim annorum curſu experientia didici, in fugientem ſcilicet Turcam fortiſſimum, aduerſus inuadentem fugaciſſimum eſſe.

Turca igitur cum natura ſit fugitiuus, oppugnandus eſt: impius enim nemine perſequenti fugit. Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant,

ciant, ſicut fluit cera á facie ignis, ſic pereant peccatores á facie Dei, & ab Eccleſia ſua ſancta, ut fiat unum ouile, & unus paſtor. Quod concedat nobis trinus & unus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

NOTA, quod per totam Syriam, & circa Hieroſolymam Græci, non utuntur Græca lingua, ſed tranſtulerunt totam Sacram ſcripturam, in Arabicum idioma: neq; literis quibus Græci olim utebantur, ſed Arabicis characteribus utuntur, etiam miſſam Arabico ſermone celebrant, & omnia diuina officia decantant, quare non neceſſitatis, ſed nouitatis cauſa ſaltem Dominicam precationem eodem ſermone cum Latinæ linguæ interpretatione huic opuſculo inſerere uolui, cuius prolatio eſt talis:

DOMINICA ORATIO

ARABICO SERMONE.

Abuna elledi fi elſemauat, itchaddes
Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur
eſmech, tati melechutech,
nomen tuum, adueniat regnum tuum,
techun miſiutech, chemaſi elſſema cheda-
fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo &
lech elared, Hobzinæ bijum hatina

 in ter-

In terra. Panem noſtrum quotidianum da
iumen, ue noghfor lena denubina,
nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra
chema ueneben noghfor aſſa leima,
ſicut & nos dimittimus debitorib. noſtris,
uela tedhelna ſi el tegiareb, lechen negina
& ne nos inducas in tentationem, ſed libera
men elſerir, Amen.
nos â malo, Amen.

DE SVI RESTAVRATIONE EXEGESIS LIBRI PROTREPTICA, AD LECT.

Lugdunum poſtquam ueni peregrinus ab urbe,
Appertot Miles ſuſcipit hoſpitio.
Qui lacerũ,ſqualidũq; uidens meq; abſq; decore
Comptum,ſit facto cogitat ecquid opus.
Exuor extemplo trita, data commoda ueſtis:
Vt nunc in uulgus comptior ire queam.
Nec ego iudicium metuo,limamq; periti
Ingenij,liuor ſolus obeſſe poteſt.
Quare age,qualis ſim ſyncera perlege mente:
Sufficiet, ſacris ſi placeam ipſe uiris.

Finis libelli de Turcorum moribus.

SOLTA-

SOLTANI SO- *LYMANNI TVRCA-* RVM IMPERATORIS HOR- rendum facinus, ſcelerato in proprium filium, natu maximum, Soltanum Muſtapham, parricidio, Anno Domini 1553. patratum:

AVTORE
NICOLAO A MOFFAN
Burgundo.

VOLENTI MIHI TAM ſceleſtum facinus ſcriptis tradere, operæprecium eſſe uiſum eſt, ad pleniorem huius tam impiæ ac ſceleratæ coniurationis demonſtrationem, aliquantiſper pedem retrouertere, ac in primis cauſam indiciaq; tam inhumani facinoris breuibus attingere.

Sciendum igitur. Seulimanum ex ſerua quadam Muſtapham hunc ſuſcepiſſe, cui ab ineunte ætate Amaſiam prouinciam tradidit. Tandem illuc ſimul cum matre profectus, cumq; ipſis annis florentem uirtute, teſtimonio extitit omnibus, ſe fauore cœ-

leſti ſuæ nationi quodam modo conceſſum eſſe. Profecto hoc cum matre iuuene, Rex tandem formoſitate Roſæ alterius pellicis ſuæ,ſupra quam dici poteſt, raptus eſt: ex qua quatuor maſculos ſuſtulit liberos, & fœmellam unicam. Primo nomen fuit Machomet, huicq; Caramania adſignata eſt prouincia. Secundo uerò Baiaſith, atq; hic Magneſiam regionem tenuit. Tertius fuit Selimus,cui Machomete mortuo data eſt Caramania prouincia. Quartus Iangir dictus eſt, cognomine illi à gibbis, quibus antē & à tergo deformatus erat,impoſito: uerum prudenti & acuto ingenio. Fœmella uerò Ruſtano Paſchæ nuptui elocata eſt. Hic autem interfecto Hybrachimo, Veſiri (quem nos ſummum conſiliarium uocare poſſemus) adeptus eſt dignitatem. Verum eo officio pro innata ſibi auaritia abutens, omnia uel renouabat, uel etiam immutabat:militibus,quos Ianiſcharos uocant, ſtipendia minuebat: capitaneorum, quos Saniachos appellant, reditus alleuiabat; uectigalia ac tributa prouincijs augebat,nec minus etiam inordinatis domus regalis expenſis modum imponebat: nihil aliud quam quod ſibi infinitos theſauros ex ſuis doloſis ac fictis rapinis accumularet,

penſi

penſi habens: eoq; pacto fidelis ac diligens ſeruus exiſtimatus, regis animum ſibi facile deuinxit: parui interim faciens, ſe omnibus alijs infeſtum ac odioſum fieri.

Interea Roſa hæc, de qua meminimus, uidens ſe præ alijs à rege diligi, ſub religionis tegumento mota eſt indicare Muchty, ſe pio deſiderio motam, ſummo Deo, ac in honorem Machometis, templum, ac etiam xenodochium recipiendis peregrinis extruere quidem uelle: uerum id non ſine eius conſilio facere decreuiſſe. Sciſcitabatur igitur, an tale opus Deo gratum foret, uergeretq; in animæ ſuæ ſalutem. Talibus Muchty reſpondit, opus quidem Deo acceptiſſimum fore. Quanquam etenim id animæ ſuæ ſaluti non proficeret, regis tamen animæ maximè profuturum, ſub cuius dominio eſſent & facultates eius omnes, & uitam etiam (ſerua enim erat) ſua. Hoc reſponſo mulier magis magisq; indies triſtis ac animo perturbata uiſa eſt, adeò quod in plures dies ſolari nequiuerit. Eius interea perturbationis certior factus rex, illam quam humaniſſime ſolari cœpit, affirmans ſe breui reperturum modum, quo tandem ipſa ſui deſiderij optatum conſequeretur finem. Illam igitur illico manu miſit, facto ſuper eo eti=

am inſtrumento (ſicuti apud illos fieri conſueuit) ne amplius ſeruitute ſibi mancipata foret. Tanto ergo, tamq; admirabili obtento fauore, Roſa cum ingenti pecunia ſe ad opus prius cogitatum, fabricandum contulit. Interea Rex Roſæ cupidine (ut ſupra dictum eſt) effrenatē ſuperq; omnem modum ineſcatus, illi ut ad ſe ueniret, per internuncium mandat. At callida ac uerſuta fœmina, quam nihil inſidiarum latebat, uafrē nuncio iubet, dominum ut honeſtatis ac legum admoneat: agnoſcere ſe etenim non amplius ſeruam, ſed liberam eſſe, at interea minime negare, ſuam Regiam maieſtatem adhuc pro libito ſuo & uitæ & necis eius diſpoſitionem arbitriumq; penes ſe habere: uerum quod ad copulationem carnalem attinebat, id fieri minime gentium citra grauiſſimi peccati patrationem poſſe. Et ne fortē tale quidpiam à ſe commentum fictumq; eſſe exiſtimaret, de eo ſe in omnibus iudicio Muchty acquieſcere. Hæc repulſa adeo regis inflammata excitauit præcordia, ut omni poſthabita mora, Muchty ad ſe accerſiri iuberet: dataq; illi libera reſpondendi facultate, interrogat, an ſeruæ ab eo manumiſſæ, citra uiolationem legum, commiſceri carnaliter poſſet? Quibus reſpondit

ſpondit Muchty,id nequaquam licitum eſſe, niſi prius, cum ea legitimum contraheret matrimonium. Sed hæc difficultas adeò Regis adauxit cupidinem, ut libidine ſupra omnem modum obcæcatus, in libertæ matrimonium conſenſerit.

Factis igitur nuptialibus pro ſuo more inſtrumentis, quinquies mille ducatos ſoltanos donationis propter nuptias nomine ei numerauit, non ſinè magna omnium admiratione, præcipuē quod id præter Otomanæ ſtirpis eſſet conſuetudinem. Vitandæ etenim in imperio ſocietatis gratiâ, uxores liberas ac legitimas non ducunt: uerum earum loco, ad ſatisfaciendum ſuis delitijs, ac libidinoſis cupidinibus (quibus ſupra omnem nationem uiliſſime ac ſpurciſſime ſubijciuntur) habent ex uarijs mundi regionibus raptas omnis generis formoſiſſimas ac elegantes fœminas, quas in regia (Sarai uocant ipſi) honorificè ac regaliter enutriunt, ac in omnimode commoditatis occaſionem educant, honeſtiſq; ac ciuilibus moribus inſtruunt, quibus quidem per uices pro animi ſui uoluptate commiſceri ſolent. Quod ſi forte illarum quæpiam à rege grauida facta pepererit, tum illa præ alijs omnibus honorata ac reuerita in-

L 5 cedit,

cedit, maioriſq; dignitatis ac reputationis ergo Soltana uocatur. Atq; eiuſmodi fœminę poſt partum magnis dominis, Paſchis, ac Saggachis nuptui elocantur.

Verum ut ad propoſitum reuertamur, ſeruæ huic iam manumiſſæ, ac fortunæ beneficio eō uſq; elatæ, ut iam omnium totius Aſiæ mulierum præcipua facile uideretur, ſicq; omni felicitatis comitatæ ſucceſſu, quō omnibus ſuis ambitioſis ſatisfieret conatibus, reſtabat ſolum, ut modum & occaſionem adinueniret, quō Seuleimano defuncto, ad ſuorum unum imperij ſucceſſio deferretur. Cui rei tantummodo obſtabat generoſitas Muſtaphæ, magnanimi adoleſcentis, ac præſtantis ingenij, nec minus animo quam etiam uiribus ualentis, quiq; propter magnanimitatem ac fortitudinem mirum in modum militibus gratus, propter uero prudentiam iuſtitiamq; populo maxime commendatus atq; acceptus erat. Quæ quidem omnia in eo conſiderans callidiſſima fœmina, ac ob id cum Ruſtano clanculē colludens; nouerat enim (ut & ex rationis debito probabile eſt) Ruſtanum magis affinem ſuum, ſuæq; uxoris germanum, ad imperij gradum euehi cupere, quam Muſtapham, apud quem pro certo compertum habebat

habebat ſe maximè odioſum eſſe, uel ob id præcipuè, quod apud illum in maximam contumeliam incederat. A principio enim, dum aliis omnibus (quemadmodum ſuprà attigimus) reditus extenuaret, conatus etiam fuerat, ſed incaſſum quidem, de reditibus Muſtaphæ aliquid detrahere : ex quo facile exiſtimabat, tam generoſum animum, ſi fortè ad imperium euectus eſſet, talem iniuriam uix obliuioni daturum: adeò etiam, quod imperante illo, in periculum officij non ſolum, & dignitatis, ſed etiam capitis facilè caſurum ſe, ex ſuę ante actę uitæ ratione ſuſpicabatur. Hæc igitur omnia, nequiſſima mulier animo ſceleratiſſimo perpendens, conata eſt animo regis non minimas de Muſtapha ſuſpiciones impingere: nempe quod is regnandi cupidine feruens, ac etiam omnium erga ſe beneuolentiæ ac fauori confidens, ſuaq; (qua maxime abundabat) militari manu tumens, nihil aliud de ſe expectandum relinqueret, quam quod ſemel imperium affectaturus, ac in patris necem machinaturus eſſet. Atq; quo melius rem omnem palliaret, ómnia per Ruſtanum (qui ſemper magnarum rerum gerebat curam) opportune expediri curabat: nec ei etiam defuit quidquam, quod in necem

cem ac criminationem adoleſcentis non machinaretur. Nam omnibus qui ad Syriæ prouinciæ adminiſtrationem mittebantur, clancule Muſtapham tanquam parenti ſuſpectum indicauit; commitens ſingulis, ut ad ſtatum Muſtaphæ diligentiſſimē animaduerterent, deq; omnibus quę in eo uidiſſent, uel de eo intellexiſſent, ad ſe quam diligentiſſimē ſcriberent: callide affirmans, quod quantó odioſiora de eo ſcripſiſſent, tanto illos Regi etiam gratiores & acceptiores fore. Proinde per iſtos ſæpius regalis præſtantiæ, magnanimitatis, prudentiæ, fortitudinis, ac etiam erga omnes beneuolentiæ ac liberalitatis Muſtaphæ, quibus omnibus omnium ſibi facile conciliauerat fauorem, nec minus etiam ardentiſſimi deſiderij, quo omnes fere in electionem illius accendi uidebantur, factus certior Ruſtanus: non tamen ideo primus eius tam nefariæ coniurationis ſemen ſpargere auſus eſt: uerum literis peruerſæ mulierculæ traditis, reliqua illius ſcelerato capiti relinquebat. At Roſa, ſuccedente illi pro ſuo impio uoto temporis occaſione, fœmininis (quemadmodum nouerat egregiē) illecebris ac adulationibus, non deſiſtit regis animum corrumpere, ut ſi quando Muſtaphæ incideret mentio,

commo-

commodiorem ex tempore literas aperiendi ſumeret occaſionem, Nec etiam expectatione fruſtrata eſt: arreptaq; occaſione, non ſine lachrymis (ſicuti etiam mulieribus, fictis in negotijs deficiunt nunquam) Regem periculi, cui ſubijciebatur, admonet: commemorans inter alia, quemadmodum Selimus parens ipſius, patrem etiam ſuum eiuſmodi medijs, imperio pariter & uita priuauerat. Sibi igitur exemplo ut caueret, enixe rogabat. Sed argumenta hæc ſuſpicionis, prima facie non uſq; adeo probabilia uiſa ſunt regi: atq; inde factum, ut eo pacto perfida mulier parum profecerit. Id quod pro ſua inuidia animaduertens, tandem ſceleratum animum ad alias technas dirigit, omnibus modis adoleſcentem ueneno necandi opportunitatem perquirens. Nec defuerunt ad quodcunq; maleficij genus patrandum prompti ac dedicati ſcelerati homines, ni prouidentia diuina ſe tam nefando conatui oppoſuiſſet. Parentis quippe nomine miſſas ā muliere hac uenenatas ueſtes non prius attigit, quam ab alio indutæ eſſent prius: qua quidē accurata prudentia nefarias improbæ nouercæ præuenit inſidias, uenenumq; palam patefecit omnibus. Nec tamen adultera ceſſauit adhuc, quin no

uas

uas illi ſtrueret inſidias, nam cōnata tantam ſibi conciliare beneuolentiam, familiaritatemq;, quantam nemo unquam in regia Ottomanna conſecutus eſt(freta enim amatorijs uenenis, quibus Iudææ cuiuſdam incantatricis famoſiſsimæ ope, regis animum ſibi attraxerat,magna ſibi, ac maiora indies de rege pollicebatur) impetrauit: ut per uices, filij ſui in regia parentis uerſarentur: nimirum quo diutina præſentia, aſſiduiſq; blandimentis paternum amorem ſibi magis magiſq; allicerent, quod ſi forte fortuna Muſtapha ueniret, opportuniorem illum opprimendi nanciſceretur occaſionem: ſin minus,tempus quo illum per medias perſonas interficeret,expectaret. Sed non ueniente Muſtapha (non enim conſueuerunt regij filij adſignatas ſibi prouincias inſcio parente egredi, ac ſe Conſtantinopolim conferre,niſi patre mortuo, ad recipiendum imperium, ingenti militum comitati caterua uenerint) aliud facile excogitauit facinus. Obtento enim eo quod poſtularat,effecit,ut non ſolum in urbe uerum & in prouincijs,filij ſui parentem regem comitarentur. Sed in caſtris etiam Giangis gibboſus patrem ſemper ſequebatur. Verum enimuero nouercalibus commentis annis

aliquot ita in ſuſpenſo exiſtentibus,fortuna tandem impijs fœminæ conatibus fauere uolens,ſuſpicioſas apud Paſcham,qui regimini Muſtaphæ, ac gubernationi Amaſianæ prouinciæ (quilibet enim regis filiorum apud ſe Paſcham unum, hoc eſt, Locum tenentem,qui populo de iure reſpondet, ac in rebus bellicis conſulit : & doctorem unum, à quo bonarum diſciplinarum ac regalium morum ratione imbuitur habere ſolet)præfectus erat,literas parturiuit : quibus continebatur,matrimonium inter Muſtapham & filiam regis Perſarum tractari: eamq; rem propterea ſe ad ſacram portam referre, ut ſi quid inde ſiniſtri eueniſſet,ab omni ſuſpicione haberetur immunis. Perlatis igitur ad Ruſtanum literis,uiſus eſt ſe dudum deſideratam Muſtaphæ ruinam ad optatum finem deduxiſſe. Ne cunctatus ulterius,omnia Roſæ ſubito indicat : ac ſubinde ſe ambo in regiam conferunt,omniaq; regi indicant.Qua in re,quò regium animum, quanquam dubioſum ac hæſitantem, anxijs ſuſpicionib. imbuerent,omnem mouerunt lapidem, inquientes:Muſtapham tanquã àmbitioſum, ac animi rabie quodammodò ad dominationem tam magni imperij, contra omnem tam diuini quam etiam humani iuris ratio-

nem

nem accenſum, in necem etiam parentis con iurare: atq; quo ſuis fraudibus maior fides haberetur, regem tractatæ cum Perſis, Ottomanæ ſtirpis antiquiſſimis ac capitalibus inimicis, à Muſtapha affinitatis commonefaciebant. quapropter ſummopere cauendum illi, ne iunctis Perſianis uiribus, Sanggachis ac Ianicharis, quos ſibi dudum liberalitate ſua deuinxerat Muſtapha, in breue tempus parentem imperio pariter & uita priuaturus eſſet. His ac eiuſmodi alijs criminationibus perturbatum ſenis animum eō induxerunt, ut morte filij ſuis rebus conſulere decreuerit, in hunc modum.

Anno igitur Domini 1552, ſumma cum diligentia ac celeritate, omnibus fere prouincijs publicari facit, Perſas finibus ſuis egreſſos, ingenti armatorum manu Syriam inuadere, urbes expugnare, homines captiuos abducere, omniaq; igne ferroq;, reſiſten te nemine, uaſtare: cui tam ſecuræ ac liberæ audaciæ ut mederetur, ſe coactum, Ruſtanum illuc cum exercitu, mittere. Collecto igitur milite, tacite committit Ruſtano, ut quam ſecretiſſime fieri poſſet, ac citra om nem tumultum, Muſtaphæ manus inijceret, uinctumq; Conſtantinopolim duceret. quod ſi forte commodius rem exequi nequiret,

tum quocunq; modo mortem illi inferret. Nefario igitur ac crudeli accepto mandato, Ruſtanus ingenti comitatus militum manu, Syriam uerſus proficiſcitur. Quo cum perueniſſet, Muſtapha eius aduentus factus certior, omni poſthabita mora, 7000 omnium totius Turciæ ualidiſſimis ac inſtructiſſimis ſtipatus militibus, Syriã uerſus iter dirigit. Quod quidem intelligens Ruſtanus, uidēſque ſe impium ſceleratiſſimi ac crudeliſſimi parentis mandatum pro ſuo uoto exequi non poſſe: illico terga uertit, ac priora recalcans ueſtigia, ſe iterum cum exercitu Conſtantinopolim confert, adeo celeriter, ut ne puluerem quidem ab equitibus Muſtaphę in aera agitatum uidere nedum illum expectare ſit auſus. Reducto igitur milite, perſuaſit omnibus, ſe prouinciam quietam ac ſecuram reperiſſe. Tandem clanculo ſui reditus cauſam regi aperit: addens, ſe totius exercitus animum in fauorem Muſtaphę inclinatiſſimum, apertiſſimis ſignis & coniecturis uidiſſe, nec in tam periculoſo negotio rem aperto marte tentare auſum fuiſſe: atq; ea propter ſe ſuæ Maieſtatis prudentiæ rem omnem uoluiſſe referre. Hæc relatio crudeli ac impio patri, nec minus ab innata maiorum ſuorum crudelitate degeneranti,

nouas,nec minimas gẽrauit ſuſpiciões:qui bus ſe ut liberaret,apud ſe nefarie decreuit.

Anno porrò ſequenti, ingentem exercitum conſcribi iuſſit,ſignificans Perſas multo maiori manu Syriam inuadere: ſeq; eapropter ſalute publica impulſum,illuc perſonaliter exercitum deducere, hoſtilibusq; conatibus obſiſtere decreuiſſe. Adunato igitur exercitu,omnibuſq; ad rem militarem neceſſarijs ordinatis,dataq; proficiſcendi facultate,tandem parricida parens paucis poſt diebus exercitum ſequitur. Qui ubi in Syriam appulit,Muſtaphæ illico ut ſe Alepem conferret (illic enim caſtrametaturus erat) mandat. Nec tamen interea Seuleimanus nefandum ac mortale odium, quod aduerſus filium animo geſtabat, extrinſecis indicijs (quamuis ad id ſedula adhibita cura) adeo celare ualuit,quin ad bonam Paſcharũ, aliorumq; maioris dignitatis penes ſe hominum notitiam peruenerit. Ex quo Achmat Paſcha clanculê Muſtapham per internuncium, quo ſuæ ſalutis ac uitæ diligentiorem rationem haberet, admonuit. Nec etiam Muſtaphæ admiratione indignum uiſum eſt,præter probabilem ullam rationem, parentem ſuum cum tam ingenti militum manu aduentaſſe: attamen ſuæ innocentiæ conſi-

confidens, anxietáte ac perturbatione animi extremē uexatus, mandato patris (licet etiam cum maximo uitæ ſuæ periculo) obtēperare ac ſatisfacere ſtatuit. Exiſtimabat etenim, honeſtius ac laudabilius fore, obtemperando parenti mortem incurrere, quam uiuendo in criminationem incidere inobedientiæ. Sub tam graui igitur animi anxietate, multa ſecum ipſe diſputans, tandem doctorem, quem ſemper in curia ſua penes ſe (ut ſuprà diximus) habebat, intrepidē ac conſtanter interrogat, an ne totius orbis imperium, an uerō uita beata homini præoptanda eſſet. Cui libere doctor reſpondet, mundi quidem huius imperium penitius cōſiderāti, nihil felicitatis, quā ſub uāa et iña ni bōi apparētia afferre, nā eo nihil fragilius, īſecuriuſq; cū ſecū meros tiores, anguſtias, tribulationes, ſuſcipiōes, hōicidia, impietates, iniuſtitias, deprędatiōes, ruīas, captiuitates, ac omnis generis alia pleraq;, homini ad ueram beatitudinem peruenire cupienti haud quaquam optanda, afferre ſoleat: quorum gratia quidem uita beata amitteretur. nō autē retīeretur uerū quib. diuinitus datū eſſet, fragilitatē ac breuitatē huius ſtatus noſtri (quem quidem uitam eſſe uulgus autumat) conſiderare ac perpendere, mundiq;

 uanita-

uãitatib.reluctari,ac hõeſtatẽ tãdem ãplecti: illis ſanẽ in cœlis locum adſignatum, ac à ſummo Deo præparatum eſſe, ubi æternis tandem fruerentur gaudijs, ac uita beata. Hoc doctoris reſponſo, perturbato adoleſcentis animo mirum in modum, tanquam finis ſui quodammodo præſago, ſatisfactum eſt: nec longiore ſermocinatione remoratus, illico uerſus parricidam patrem iter uertit,acceleratoq; gradu tandem ad caſtra parentis peruenit, ac non procul inde ſub dio tentoria fixit. Sed hic tam feſtinatus Muſtaphæ aduentus impio parenti maiorem ſuſpicionem attulit: nec interea Ruſtanus ſuis nequiſſimis commentis ac fallacijs ea in re abſtinuit ſuſpicionem augere, nam ſigno dato, Ianiſcharos, ac alios totius exercitus primarios milites, ut Muſtaphæ irent obuiam, incitat. Nec mora, omnes quam promptiſſime iuſſa eius exequuntur, ac ſeſe itineri accingunt. Interea callidiſſimus nebulo, uultu indignationem (ſicuti egregiẽ fingere callebat) oſtentans, ſe Illico in regis tentorium confert,affirmans impudentiſſime, primarios fere omnes milites ſponte ac ſine ullo mandato Muſtaphæ obuiam iuiſſe. Hoc audito, rex animi perturbatione impalluit: egreſſuſq; tentorium,facile

cile uera eſſe, quæ Ruſtanus retulerat, ſibi perſuaſit. Nec etiam Muſtaphæ ſuæ tam infeliciſſimæ ſortis prodigia defuerunt. Nam die antequam itineri accingeretur tertio, circa crepuſculum diei dormiens, uiſus eſt uidere ſuum Machometum, refulgentibus ueſtitum, ſe manu arreptum, ad locum quempiam amœniſſimum, ſtructiſſimis ac ornatiſſimis decoratum palatijs, amœniſſimoq; horto conſitum, deducere, digitoq; omnia demonſtrantem, ita eum affari: Hic inquiens, in æternum quieſcunt, quicunq; in mūdo piam iuſtamq; egerunt uitam, quiq; legum ac iuſtitiæ adſertores, uitiorumq; improbatores extitere. Ac in aliud tandem latus uerſa facie, rapidiſſima ac latiſſima duo flumina conſpexiſſe, quorum alterum aquā pice nigriorem rebullire, atq; in illis pleroſq; immergi, pleroſq; in altum apparere, ac miſericordiam horridiſſima uoce clamitare: atq; Illic (inquiebat) cruciantur, quicunq; ſub uitæ huius fragilitate malicioſe operati ſunt iniuſtitiam. Illorumq; præcipuos, principes, reges, imperatores, ac eiuſmodi reliquos magnates eſſe affirmabat. Hoc facto, Muſtapha ſomno pariter ac uiſione ſolutus, doctorem accerſiri iubet, illiq; negocium totum exponit. ille uero diu mul

tumq; cogitans (etenim ſuperſtitioſi Machometiſtæ plurimum ſomniorum deliramentis tribuunt) dolore ac mœſtitia plenus, tandem reſpondit: uiſionem hanc timendam quidem eſſe, quippe quæ illi ſummum uitæ periculum præſagiret. Rogat igitur, ut uitę ac dignitatis ſuæ ſedulam habere uelit curam. At Muſtapha, ut erat magnanimitate ac fortitudine præditus, nullo eius reſponſi habitu reſpectu, intrepide reſpondit, inquiens: Ecquid puerilibus ac friuolis timorib. me uinci ac terreri patiar? Quin potius impauido ac conſtanti animo feſtino ad meum parentem proficiſci, eo etiam audacius, quod certò ſciam, me ſemper illius Maieſtatem (ut & æquum eſt) tam pie reueritum eſſe, ut inuito illo uerſus ſedem ſuam neq; oculos, nedum pedem unq̃ uorterim, multo minus imperium affectarim, ni ſummi Dei uoluntas illum ad meliorem euocaſſet uitam: nec etiam ſine communi totius exercitus publica electione, ut tandem ſine cęde, ſine ſanguine, ac omni crudelitate, pie ac iuſte regnarem, fratrumq; meorum amicitiam inuiolatam ſeruarem. Conſtitui etenim apud me, elegiq; potius, quandoquidem id uoluntas parentis mei exigit, obediens uitam finire, quam multis annis regnans,

nans,ab omnibus,præcipueq; æmulis meis rebellis reputari. Hoc habito ſermone,Muſtapha ad caſtra parentis peruenit,fixisq; (ut diximus) tentorijs, ueſtibus albis ueſtit ſe: literasq; aliquot, quas Turcæ aliquo ituri, ſemper ſecum portare (nam in ſuperſtitionibus ualde delirant) ſolent,ſinui imponit: ac tandem ſuorum fidelium aliquot comitatus,cum ſumma reuerentia parentis ſui manus (pro more illis uſitato) exoſculaturus, uerſus impij parentis tentorium iter uertit. Sed ubi peruenit ad limen, recordatus, adhuc ſe pugione quodam accinctum eſſe, non prius introiuit, quam pugionem depoſuiſſet: nimirum ne in ſui parentis conſpectum armatus uenire uideretur, omnemq; ſuſpicionem à ſe remoueret. At ubi interiora tentorij ingreſſus eſt, hilariter ſatis ab eunuchis parentis,ac ea quæ decebat reuerentia excipitur. Verum nihil aliud quam ſedem unicam,ubi ſolus ſederet,præparatam uidens,anxius animi,cogitabundus aliquãtiſper conſtitit ac tandem,ubi nam eſſet rex, interrogat tum uerõ, ſe ſtatim regem uiſurum, reſpondent. Interea ab altero latere ſeptem mutos (quos rex Turcarum penes ſe,ſecretorum ſuorum conſortes, ac ad omnia homicidia exequenda ſecretius promp-

tos ac dedicatos, habere ſolet) ad ſe uenire conſpicit: ſummoq́; terrore perculſos, En mors mea, inquit. Surgenſq́;, aufugere conatus eſt, ſed fruſtra. arreptus enim ab eunuchis & cuſtodibus, ui ad ſuæ ſortis locum deſtinatum tractus eſt: nec mora, muti ſubito neruum arcus collo eius alligant, reluctanteq́; miſero filio, ac ut duo tantum uerba cum patre ſibi loqui liceret rogante, tandem inhumanus ac impius parricida, qui tam nefandum ſpectaculum ex altero tentorij latere conſpiciebat, immani atq́; crudeli uoce increpat illos, inquiens: An ne ſemel tandem iuſſa mea exequemini? ac proditorem iſtum, qui hinc decennio ne unicam noctem quietam dormire me paſſus eſt, occidetis? Quibus tam immanibus, nefarijs ac imperijs auditis uerbis, tandem eunuchi cum mutis, miſellum humi deijciunt: tractoq́; ab utroq́; latere nodato neruo, infeliciſſimum, filium iuſſu ſceleſti parentis ſtrangulant.

Expedito hoc ſcelerato ac impio facinore tandem iuſſu regis Paſcha Amaſianæ prouinciæ capitur, ac in regis conſpectu capite plectitur. Hoc facto, Giangir gibboſum, eorum omnium quæ geſta erant inſcium, accerſit; at quaſi rem laude dignam perfeciſſet,

feciſſet, illudens, ut fratri ſuo Muſtaphæ e- at obuiam, iubet. Tum Giangir hilari ac læto animo fratrem excepturus feſtinat. Sed ubi peruenit ad locum, infortunatumq; fratrem ſtrangulatum, humi iacentem conſpexit, dictu impoſſibile eſt, quanta animi anxietate adfectus ſit. Vix tamen adhuc illuc peruenerat, cum impius pater poſt eum nuncios, qui illi ſuo nomine omnes Muſtaphæ theſauros, equos, ſeruos, tentoria, ornamenta, inſuper & Amaſianam prouinciam offerrent, miſit. At Giangir extremæ mœſtitiæ propter chariſſimi fratris inhumaniſſimam mortem, ac triſtitiæ plenus, lachrymabundus in hunc modum affatur: Proh ſceleſte ac impie canis, proditor, ne dicam pater, fruere nunc theſauris, equis, ornamentis, ac prouincia Muſtaphæ. Siccine tuo inhumano, impio, ac crudeli animo incidit, ut tam egregium, militarem, ac tantæ expectationis filium, cuius ſimilem domus Ottomana nec habuerit, nec ũquam habitura ſit, tam impie, ac pręter omnem humanitatis, ne dicam iuris ſanguinis reſpectum, necares? Cauebo igitur, ne in poſterum eum in modum de me miſero gibboſo tam impudenter glorieris. Sic præfatus, pugione, quo erat accinctus, arrepto, eum per intima uiſce-

ra coegit,ſicq; ſubitò animã efflauit. Quod ubi ad aures Imperatoris peruenit,quanta ſit affectus animi perturbatione dictu difficile eſt. Verumenimuero non propterea auarum eius animum tanta uicit animi perturbatio ac anxietas. nam ilico omnia Muſtaphæ ornamenta in ſua tentoria deferri iubet, At milites illa omnia in prædam fortẽ conceſſa eſſe exiſtimantes,promptis animis ad exequenda regis mandata feſtinant. Interea in caſtris Muſtaphæ milites,eius adhuc quod cum domino actum erat inſcij, uidentes tantam militum cateruam ſine omni militari ordine irruere, quò illorum ſe tumultuariæ inſolentię opponerent,armati in medium prodeunt: uiriliterq;,nec ſine multorum cæde, illorum repellunt impetum. Tum demum illius tragœdię fama ad regis milites perlata, uidentes tumultus magis magisq; incaleſcere, ſuis etiam auxilio eſſe ſtatuunt: ac tandem hinc inde ad arma pro clamatum,ac utrinq; pugnatum crudeliter, adeò ut in breue tempus bis mille plus minus ceciderint homines, pluresq; uulnerati ſint. proceſsiſſetq; ulterius hæc tragœdia, ni Achmat Paſcha,homo ſanẽ grauis,ac propter experimenta uirtutis, non mediocris apud milites autoritatis, Ianiſcharos retroegiſſet,

giſſet,illorũq; furorẽ frẽaſſet:uerſuſq; ad Muſtaphę milites,bẽeuolis,ac lenib9 uerbis exhortatiõibuſq; anĩos illorũ mitigaſſet,inquiẽs:Nũquid,chariſſimi fratres ac amici mei,ã ueſtra,qua tot ſeculis probati, eſtis,anĩi prudẽtia degẽerãtes, mãdatis magni Soltãi ac Dõini noſtri cõtraueĩre uultis?Nõ poſſũ(ita me De9 amet)ſatis mirari,quid nãuos,quos ego hactẽus clariſſimos ac ualẽtiſſimos probaui,mouerit,ut ĩ hoc ciuili;cõflictu,eaquib. tã feliciter ac proſpere aduerſ9 Otomãę ſtirpis hoſtes uſi fuiſtis,arma,in ueſtros nũc ſtrĩgere,ac hoſtib. noſtris tale ſpectaculũ edere ſtatuatis:ut quorũ armis ſe deuictos doleãt, eorũ mutuis cędib.ſibi inuicẽ cõgratulẽtur. Igitur filioli mei,ſedulo pro ueſtra magnãimitate curate,ne eã qua hactẽus,prę omnib. cõmẽdabiles fuiſtis,animi prudẽtiã ac fortitudinẽ ueſtra hac inſolẽtia amittatis. Hęc igitur arma,quib. hactenus ĩter ueſtros plus ſatis uſi eſtis,aduerſ9 hoſtes,ubi meliorac etiã laudabiliordabitur occaſio,reſeruate.His atq; eiuſmodi Achmat Paſcha militũ anim9 deliniuit,adeõ ut õnia ex tẽtorĳs Muſtaphæ ad regẽ libere deferre permiſerint, Sed ubi mors Muſtaphę ad aures Iãniſcharorũ et totius exercitus peruẽit, altera inter eos ſeditio orta eſt. Ab omnibus igitur ad arma clãatũ

denuõ:

denuò : factoq; ingenti ſtrepitu, commixtis etiam lachrymis ac planctibus, tandem, ut erant rabido ac feruenti animo, ſtrictis gladijs in regiam cum magno impetu irrunt. Atq; hæc renouata ſeditio tantum trepidationis regis animo attulit, ut omni ratione conſilij deſtitutus, cum maximo ſui capitis periculo fugere uoluerit. Verum à ſuis retentus, occaſionemq; ex neceſſitate nactus, rem, quam ſecurus ne cogitaſſet quidem, aggreſſus eſt : foraſq; egreſſus, milites (ſed pallido uultu) ſic affatur: Qui rumores, qui ſtrepitus, quæ tandem inſolentiæ ſunt iſtæ, quibus animum meum tam effrenate perturbatis? quid hi tam inflammati, ardentes, iracundiq; uultus denotant? An ne me regem ueſtrum eſſe, eumq; qui uos regendi atq; gubernandi ius habeat, non recordamini? Siccine ueſtram maiorumq; ueſtrorum inuictam, inueteratamq; militiam, regis ac imperatoris ueſtri cruore maculare decreuiſtis? In hunc modum adhuc loquente rege, milites intrepide reſpondent : Se illum ipſum eſſe, quem ante multos annos elegiſſent, fateri quidem : quod uero militari ſua uirtute illi tam amplum imperium adquiſiuiſſent, idemq; conſeruaſſent, ideo ab illis factum, ut pie ac iuſte regeret : non autem,

ut

ut inconſiderate cruentas manus ſuas in quemlibet iuſtum inijceret,ſeq; impiē innocentum ſanguine macularet. Quod autem armati in medium prodijſſent,iuſta de cauſa,nempe pro uindicanda Muſtaphæ innocentis morte,ſe commotos eſſe: nec habere regem,cur aduerſus illos ira moueretur. Petunt igitur, quo ſe publicē de proditionis crimine, ſuper quo ab æmulis Muſtaphæ falſo delati erant,purgarent, accuſatorem in publicum prodire. non enim ſe arma prius depoſituros,quam accuſator in iudicio perſonaliter comparuiſſet, accuſationemq; modo legitimo ſub talionis pœna inſtituiſſet. Interea dum hæc agerentur, ſceleris atrocitas omnes ad lachrymas promouebat: adeo quod rex ſui tam nefandi, ſceleratiq; ac inhumani parricidij pœnitere uideretur. Tum demum rex omnia militibus, quę petierant, mitiſſimis uerbis promittere, illorũq; inflãmatos animos,quantum poterat,ſedare. Sed milites interim, ne rex callidē aufugeret, illosq; promiſſis ſuis, ac omini expectatione eorum quæ petierant, fruſtraretur, expedita cura ac diligentia in ſtatione omnes & excubijs manſerunt.

Interea rex Ruſtanum omni penitus dignitate priuauit; annulumq; regium,cuius

cuſtos

cuſtos extiterat,illi ademit, & Achmat Paſchæ tradidit. At Ruſtanus timore ac trepidatione perculſus, uidens ſe in ſuis non ſatis tutum,ad Achmat Paſchæ tentoria tacite cõfugit: illumq; quid in negocio tam dubio ac periculoſo agendũ foret,conſuluit. Qui reſpondit, ut in eo,conſilio uteretur regis: quodq; iuberet rex, id omne exequeretur. Id conſilij mirum in modum Ruſtano ſatisfecit nec diu cunctatus,per internuncios, fidosq; ſibi ac familiares amicos, regem de omnibus conſulit. Verum reſponſo habito,ut omni poſthabita mora, ſe quam citiſſime à conſpectu regis, & caſtris abſentaret, replicat, id ſine pecunijs ac tentorijs etiam commode fieri non poſſe. Verum rex reſpondet,ulterius nec tempus, nec etiam locum longiorem capiendæ opportunitatis ac commoditatis moram ullo modo concedere, Tum demum Ruſtanus citra ullam moram,enormium ſcelerum ſuorum ſibi ſatis conſcius, octo fideliſſimis comitatus amicis,Conſtantinopolim uerſus iter uertit: acceleratoq; gradu (quemadmodum timor ſemper alas addere conſueuit(peruenit Cõſtantinopolim: illicq; cum Roſa,ac alijs pleriſq; eius coniurationis participibus, fortunæ ſuæ euentum non ſine magno capitis periculo

riculo expectat. Ferunt etiam, Seuleimanum tam immanis facinoris ſibi conſcium, pœnitentię ſuperſtitione ut Mecham peregrinaretur impulſum eſſe: arreptoq; itinere, tandem Perſarum uiribus coactum ſe Hieroſolyma conferre, illicq; pro defuncto filio ſacrificium (CORBAM uocant) obtuliſſe. Sed hæc (ut ſemel finiam) de Muſtapha mihi dicenda, ſeu magis admonenda occurrerunt: Eum nempe omnibus ob militarem diſciplinam, promptumq; ad effundendum Chriſtianum ſanguinem animum, adeò gratum fuiſſe, ut extitiſſe in ſtirpe Ottomanica neminem unquam exiſtiment, qui tanta de extendendo illorum imperio polliceretur: adeò quod de rebus apud illos deſperatis natum ſit prouerbium, GIETTI SOLTAN MVSTAPHA. quo quidem ſignificari uolunt, de rebus apud illos prius cogitatis actum eſſe.

Erit igitur, ut ob tanti, tamq; nobis crudelis futuri hoſtis mortem congratulemur inuicem: exiſtimemuſq;, id non ſine prouidentia diuina, quæ rebus noſtris ea in parte conſulere uoluit, factum eſſe. Tum demum nobis ſummoperè curandum, ut tandem ciuilibus abſtineamus bellis ac diſſidijs: exiſtimantes, aduerſus communem non ſolum patriæ

patriæ uitæq́; ſed & animarum noſtrarum hoſtem,communibus auxilijs progrediendium eſſe. Quod ſi fecerimus, Chriſtiani nominis hoſtem à nobis repellere non erit difficile: ſin minus, periculum erit, ne inteſtinis noſtrorum diſcordijs, quod reliquum eſt Europæ noſtræ,inuadere, ac ſua tyrannide uaſtare conetur, quod quidem auertat, nosq́; omnes ad concordiam reuocet per CHRISTVM filium, Deus optimus maximus: Amen.

FINIS.

LABORATORIO [illegible]
[illegible]